


703699



Nº 24

Comparavit Romualdus. Florens. Ord. S. Benedicti

R. M. V.

II. 1206.

6 1041

H. usque ad adanap

SUMMARIUM
CHRONOLOGICÆ
HUNGARICÆ,

Caroli Broomei EX *Alberti Jeseu*

SECUNDA PARTE III. DECADIS
Curiosorum & Selectiorum
Variarum Scientiarum

MISCELLANEORUM,

REVERENDI PATRIS
MARTINI SZENT-IVANY
Societatis JESU Sacerdotis.

Ab ipsomet Authore extractum, & separatim editum.





I N D E X

SYNOPSISUM SUMMARIUM CHRONOLOGICÆ HUIUS HUNGARICÆ.

Synopsis I. Chronologica, Rerum Memorabilium, quæ in Pannonia contigerunt, ante adventum Hungarorum in eandem.

Synopsis II. Chronologica, Rerum Hungaricarum, ab Exitu Hungarorum ex Scythia, usque ad Regimen Stephani Primi Regis Christiani Hungariæ, seu ab Anno 373. usque ad Annum 1000.

Synopsis III. Chronologica, Rerum Hungaricarum, ab Anno 1000. usque ad Annum 1500.

Synopsis IV. Chronologica, Rerum Hungaricarum, ab Anno 1500. usque ad Annum 1600. seu finem Sæculi decimi sexti.

Synopsis V. Chronologica, continens Res Memorabiles nostro Sæculo gestas in Hungaria.



ILLUSTRISSIMO,

ET

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO COMITI

STEPHANO

NOHARI

DE CSABRAG,

PERPETUO IN SZITNA,

ET FILEK,

Sacrae Cæsareæ Regiæque Majestatis Consi-
liario, Camerario, & Partium Regni Ungariæ
Antemontanarum

VICE-GENERALI,

DOMINO, ET MECOENATI

COLENDISSIMO.



Illuſtriſſime Domine , & Mecœnas
Gratiſſime.



*C*ui Julij cognomento Caſarũ , Dictatoris Perpetui ,
ac primi Romane Monarchiæ Parentis Fundato-
riſque , cui geſtarum orbe toto rerum magnitu-
do , glorioſam ; nec Pompeij æmuli titulis inferio-
rem peperit poſteriorum memoriã ; Ea princeps ,
præcipuãque Laus eſt ; quod & Marte , & Arte
Scientiãque tantũ valuerit ; ut militari quidem
animo , robore ; Virtute facile omnes ſuperaret ,
ſapientiã verò , dicendi vi , ſcribendi facilitate ; commentandi veritate ;
ac eloquentiã ipſã Tullio ipſi Romane Svadæ Magiſtro palmam , & victo-
riam dubiam relinqueret , atque ita verè ſe Caſarem ex utroque familiari
ſibi

sibi tesserâ comprobaret. Litteratum hoc iuxta ac bellicosum; quod pene prætervolat sæculum, ut Alexandro fortunâ felicitateque belli non dispareres, sic & Cajo Julio Casari geminis ijsce dotibus permultos habet consimiles. Hos inter quem Tu Heros semper invictæ locum teneas ignarus esse non potest; qui Famæ, qui Historiæ vel leviter aurem applicuit. Etenim quid totâ latè Pannoniâ, adeo in ore, calamôque frequens, ac pene quotidianum, quam fidelis semper DEO, Casari, & Patriæ Koharian fortitudo Nominis, & Familiæ? utrâque profectò non semel aut iterum, sed sapius Historiæ, & Annalibus Ungaricis paginam faceret Martia hæc Illustrissimæ Gentis hujus Virtus, (quæ ultimam jam inde à Prædecessorum Majorumque suorum belli rudimentis cruoris stillam Christianæ, Cesareæque devovit Bellonæ,) si cui gloriosa à Koharijs relata trophæa, imita cum Otomanno victoriosè certamina, Latreatosque congressus fideli calamo his in temporum angustijs stilo seu liberet, seu liceret uberiore complecti. Quod quia mihi & parca illiberalisque litterariæ suppellectilis invidit vetustas; & temporis præscidit parsimonia; dabo breve fortitudinis Koharianæ in Avo, ac Te potissimum, compendium; atque inde ad alteram magna hujus, & avita nobilitate Illustris Familiæ delapsus prærogativam; Scientiæ, Consilij, Sapientiæque ac literarum splendorem in ea miro semper incremento crescentem; causas scilicet operis hujus, (quod unam Miscellaneorum meorum Decadis secundæ partem continet) Tibi dedicati non obscuris aperiam argumentis.

Et mihi quidem gloriosissimos Domus hujus Illustrissimæ Herois in amplissimo quodam fortitudinis patethica theatro, vel primo à limine consalutanti, illud vel invito votum excidit, quod post Darium, Philippo quoque hujus nominis Secundo Hispaniarum Indiarumque Monarchæ solenne fuisse fasti prodidère: tot sibi Zopyros, seu Viros fortes precantis, quot mali sunt grana punici: cujus loco illud ego è sensu Pannoniæ nostræ usurpo, & quot ille Zopyros; tot ego Koharios afflictæ huic Patriæ exopto. Tum enim, verò, & pax illa triumphis innumeris potior, & pleno abundantia cornu velut postliminio terras hæc reviseret libentius, atque velocius. Habuit nimirum fortissimos semper Hungaria in Koharijs Propugnatores, qui Atlantis aut Alcida instar ejus felicitatem fortunamque succollârunt semper eâ constantiâ; quâ pene immobiles se rupes orbi probavère universo. Ut brevitatis causâ missos faciam ceteros: Avum, ac Progenitorem Tuum tantisper velut in scenam reducto educam silentij sipario; ut Horatianam

illam gnoman verè in Te sæculi nostri Pannoniæque altero quodam Ca-
jo Julio veritati egregiè congruere, palam faciam: Fortes creantur for-
tibus; & bonis est in Juvencis, est in equis Patrum virtus, nec im-
bellem feroces, progenerant Aquilæ columbam. Sanguinaria turbu-
lenti Ducis Betlehemij tempestas persecutioque, atque à fide debita Cesari
Optimo Sanctissimoque, Ferdinando gloriose recordationis Secundo defectio
jam in apertum producta, ijs totum latè Pannoniæ inferioris aequè ac supe-
rioris tricollem inundarat armis; ut conterritis partim; partim auro delini-
tis, & argenteis hastis subjugatis primarijs Hungariæ capitibus miles omnis,
& universi ferè accola, præsijs jam aut captis, aut in deditioem acce-
ptis, sacramentum uni Betlehemio jurarent fidelitatis. Præerat eâ tem-
pestate præsidio Ujvariensi Avus Tuus Petrus Liber Baro Kohari, quam
ei præfecturam navata non semel egregiè belli opera contulerat; neque
horum nescias esse poterat; perinde tamen, ac enata sponte decumanos in-
ter tumultuantis Oceani fluctus rupes, nihil animo commotus, ne dicam
turbatus; perinde ac si securissima pacis essent alcedonia; minas; & iram
ridere rebellis Principis; nullam de deditioem, aut capiendo uspiam alibi
asilo cogitationem admittere. Solicitatur interim ad defectionem; arcif-
que deditioem literis; & nuntijs à Betlehemio; non satis: adduntur in-
gentia promissa, divitiæ, Magistratus Bellici offeruntur, recusat ille
ad extremum fidelis; donec à proprijs captus præsijs; nefario Duci
tumultuantis plebis est consignatus; qui tamen visâ, æstimatâque virtu-
te; quam ante corruptum ibat, eo eum coluit in honore, quo tanta fide-
tas merebatur. Transfudisse Masculam hanc invincibilis animi fortitu-
dinem in filium visus est ille suum Parentem Tuum; qui eâ sedulitate
Parentis sui vestigia pressit; ut ea; quo facilius; gloriosiorque Tu ipse
olim tramite confectareris, proprio Tibi sanguine notarit; dum, postea-
quam primùm Szeczéniensis, mox Filekiensis Capitanei partes numerosque
fidelissimè implevisset, sæpe profligatis Christiani nominis hostibus omni re-
trò ævo memorabilis; partâ denique ad Levam victoriâ præcellenti, ipse
ut solent fortes; honorificentissimum in hostico tumulum meruit ad sæn-
guinis, & vitæ militans profusionem. Hic Tu ac tantis majoribus edi-
tus; successisti scilicet in Nervæ locum Trajanus, optimis optimus; Gloriosis-
simis, Duces, & Bellator Gloriosissimus, non tam facultatum; quàm virtu-
tis & gloriæ ex asse hæres, eâ Familiæ bujus nobilissimæ gloriâ; ut merito
dubi-

dubitare singuli possimus, plusne splendoris à Majoribus acceperis Tuis; an
ijsdem addideris ornamenti. Post navatam togata Palladi celebrioribus in
Athenais eâ innocentissima integerrimaeque vita famâ; quâ ut nobilitatis,
sic virtutis gemma audires; tum etiam Sapientiae singularissima lauda ope-
ram; cum tempora; atque imprimis vivax; & ad magna nata Indoles Tua
Bellonae Te initiandum svaderet; in ejus admissus castrum; adlectus si-
gnis, quo fervore, quâ felicitate, Laureatum in juratos nominis Ortho-
doxi hostes distrinxeris gladium; vibraveris arma, quis exprimet? Archi-
medeum eum oportet esse Arithmeticum; qui vel Tuorum cum Turca con-
gressuam inire numerum attentabit. Quod ego si me assequi posse con-
siderem, esset sanè quod mihi & posteritati gratularer, de tot tanque nu-
merosis, atque difficilibus Te solo Duce praelijs non initis ajo, sed conse-
ctis. Sed nimirum impar erat Tuae dexterae hostis unus, ut ut potentis-
simus. Cum enim jam Rudimenta belli posuisses in victorijs, prius Ma-
gister, quàm tyro, ostendere debebas quid virtus possit, si consilio sapien-
tiâque fulciatur. Et verò sensere illam fusi toties fugatique rebelles; pro-
fligata eorum castra, dissipata, deleta copiae; cum Te Filekiensis arcis
Toparchâ Ductore, lectissima flos juventutis egressus; velut equo quodam
Troiano, gestiret Te hortante ad conflictum; certâ jam doctus scientiâ
Te Duce, mox exultaturum se, etiam captâ hostium praedâ, partâq; vi-
ctoriâ. Jam verò circumfessus in nobili illo Pannoniae munimento File-
kino (indolebat enim tot à Te stragibus editis hostis, ac propterea Tibi
Tuisque vindictam moliebatur) quâ fidelitate, curâ, industriâ arcem ser-
vare? Tuos conservare studuisti? tepentes; madidique hostili cruore
campi; imò & tristes Filekini cineres, ac rudera magnanimae hujus Tuae
fidelitatis testes sunt, eruntque omni exceptione majores. Tu certe ille
fueras; qui Zrinij hujus nominis Nicolai gloriosa ijs temporibus restau-
raris exempla; quando medios delapsus in hostes; cum in servanda ar-
ce studium frustra collocari agnovisses, generosam potius optabas mor-
tem; antequam arcem dedere turpiter cogerere. Sed, quae in votis Tibi mors
fuerat, opinione gravior, & longior accessit. Ita Tuam longam illam
Munkasienſi in carcere captivitatem, mortem dico sat longam; quia
difficillimam, & morte viro bono ac forti graviolem; atque ideo gloriosio-
rem Tibi; qui tot arietibus ad defectionem, tot precibus ad dandum re-
pudij libellum Majestatis Sacratissimae Fidei invitatus sollicitatusque;
consen-

consensum dedisti nunquam ; verè in Tuis illis compedibus Fidei Martyr, & simul Fidelitatis in Legitimum Hungaricæ Regem, ac Dominum Confessor. Quà quidem fidelitate illud meritus es ; ut fama Tui nominis perennatura sit semper ; Familia verò hæc , ac Tu ante alios Regnatrici Domui charus futurus. Compositis tumultibus , confusisque hostibus , liber jam , & attritis in captivitate viribus ; non Tu quietem ; non præmium , non otium pascere. Ad arma rursus provolas ; in Agriensi obsidione desudas ; instas , urges ; sed en in manu dextra vulnus accipis ; fortè quod gloriosâ rubricâ dexteram illam fortuna notare vellet ad memoriam ; quæ tot , tantâsque hostium clades una edidisset ; imò Virginea illa , & Godefridi Bullionij Hierosolymorum Regis Castissimi suppar manui non alio rubore suffundi debuerat ; quàm quem venæ sectio militaris expressisset. Hanc ego Fortitudinem Tuam ; cum tacita non rarè attentione contemplor , ac simul illibatos Tuos hodie dum cælibis annos , ardentissimam in superos pietatem , & omnia trito illi in compitis verbo dissona : Nulla fides , pietasque viris , qui castra sequuntur ; comperio : non malè scilicet è Patriæ sensu concludo : Inter eos ; quos militaris gloria Cajo Julio fecit consimiles ; principem Te nostrate in patria locum de condigno obtinere. Hæcenus de Marte : Quid de Arte , Scientia , Consilio , præstantissimisque ingenij Tui Dotibus dicam ? In cerea ac florente adhuc juventute Tua senilem admiratus est orbis patrius prudentiam ; quæ illa sumpserit tot usibus experientisq; , incrementa quis adeo proportionum gnarus mittet in digitum ? Quid testimonium Sapientie Tuæ exspecto ? ut Scutum auxiliij Tui , & gladium gloriæ Tuæ loquitur Pannonia ; sic Sapientiam prædicat Austria , commendat Imperium ; dum plurimi illo Te corroborant elogio ; quo Davidem populares olim sui : Tu unus pro decem millibus computaris. Litteras porro fovendi , Litteratis savendi studium aggenitum Tibi est , & peculiare , alteri scilicet Patriæ nostræ Julio , ut Marte , sic Arte & Sapientiâ glorioso. Atque harum altera Virtutum , me ut exiguum hoc opus Tuo potissimum Nominis consecratum irem impulit , ut præsiderem altera pervasit. Solenne id majorum minorumque gentium Scriptoribus est , & perantiquum ; ipso in operum suorum velut atrio Patronos suos collocare ; quorum præsidij à Theocritis dentibus , & Zoili morsibus perstent illesa : si Patronum operi huic meo quarebam ; quem rectius ; quàm , eum deligerem , cujus vindic-

vindici Scuto & gladio toties defensa Patria, servata Pannonia. Patrocinium verò operi huic Tuum, Tua ipsius in Literarum Cultores Munificentia, amor, ac favor non indubiè promittebant; atque ideò authorem ut præsumeret accedere impellebant. Quod dum ago, & Tuo Nomini Illustrissimo, publicam in lucem post fatigata typothetarum præla eluctaturum Miscellaneorum meorum Decadis secundæ partis Tertiæ extractum inscribo: illud unum peto supplex obtestorque: ut eo illum accipias animo; quo à me TIBI consecratur. Vis scire quo? certe Tibi Familiæque Tuæ, ac Illustrissimo Nomini deditissimo, devotissimo; æternumque dicato. Vale Vir Illustrissime, geminisque Tuis hisce dotibus Caij Julij felicior assecla; In hac gloriæ luce felicissimè, diutissimèque Patriæ nostræ refulge. Ex Academico Societatis JESU Collegio Tyrnavia, Anno 1697.

Æternam Devotissimam

Martinus Szent-Ivany.



I. S Y N O P S I S.

SEU

EPITOME CHRONOLOGICA.

Rerum Memorabilium, quæ in Pannonia
contigerunt, ante adventum Hungarorum
in eandem,



annoniæ nomen latius patebat olim, quam hodie (quo nomi-
ne censetur nunc illa solum pars, quam complectitur Hunga-
ria) continebat siquidem insuper eam partem Norici; quæ nunc
est pars Orientalis Archiducatus Austriae, & major pars Styriae,
& Carnioliae, & Vindorum Marchiae ac Sclavoniae, atque hic tra-
ctus terræ nuncupabatur prima, seu Superior Pannonia. Secunda verò,
seu Inferior Pannonia, extendebatur ad Taurunum usque, quod nunc est
Belgradum, seu *Alba Graeca*, vel saltèm hæc ex Taurini excisi excrevit ru-
deribus: Subdivisa postmodum fuit variè, nempe: in Pannoniam Cibali-
ensem, seu Bubaliam, sic dictam à Cibali Urbe, quæ & Bubalis appellabatur,
(ubi nunc est *Walpo* Civitas Sclavoniae, ad amnem cognominem versùs
Dravum) dein Pannoniam Ripensem, seu Saviam juxta fluvium Savum ex-
tensam (ubi hodie est Sclavonia, & pars borealis Croatiae) tum in Panno-
niam Sirmiensem circa Sirmium Urbem, demum in Pannoniam Volcæam
seu Valeriam, quæ juxta Danubium fluvium ad ortum & Valenam, palu-
dem (quæ nunc *Balaton* dicitur) interjacebat. E contrario verò posthac
Hungariæ accessit terra Jazigum, Mitanestarum, Dalmatia, Servia, Bosnia,
Bulgaria, & Dacia (ubi nunc est Transylvania, Walachia, & Moldavia,)
quamvis jam indiscriminatim Hungaria nuncupatur etiam Pannonia, & vi-
cissim. Quinam autem fuerint Pannoniæ Incolæ, ante Hungarorum in
eam adventum, vide Dissertationem quartam Partis primæ Decadis secundæ
hujus Operis §. V. Num. 7. Ubi res memorabiles Pannonum (in quantum
ex tenebris illorum Sæculorum erui poterant) leviter attinguntur, usque ad
Augusti Imperatoris tempora, sub quo primùm Pannonia Romano Imperio

fuit

uit adjecta. Unde hanc præsentem Synopsim Chronologicam, solùm ab *Augusti* temporibus, per seriem Annorum Christi, usque ad ingressum Hungarorum in Pannoniam breviter deducemus.

Anno igitur Christi 1. exiverat ab *Augusto* edictum, ut conscriberetur totus Mundus Romano Imperio subjectus, quod tamen in Pannoniam non extendebatur, utpote necdum Imperio Romano subjectam.

2. *Augustus* Imperator subdividit Herodis Ditiones in Tetrarchias, subdivisurus postmodum, saltem per suos Successores, & Pannoniam in plures partes.

3. Romæ Matris deùm ædes incenditur, cùm commoraretur Mater DEI in Nazareth, futura suis temporibus Patrona Pannoniæ.

4. *Augustus* Cæsar Tiberium in Successorem adoptat (per quem dein Pannoniam Juris Imperij Romani effecit) eúmque in Germaniam, & fines Pannoniæ cum exercitu expedit.

5. Tiberius in Germania rem prosperè agit, solóque jam Nomine, qui priùs armis erat, formidabilis fit, non solùm Germanis, sed & vicinis Pannonijs.

6. Marobaudus Marcomannus, accitis in societatem belli Pannonijs, & Dalmatis, non solùm armis Romanorum resistit, sed & ipsi Italiæ prædabundus imminet.

7. Tiberius suspectus esse *Augusto* incipit, quasi de industria bellum cum Marcomannis, Pannonijs, & Dalmatis protraheret. Mittitur proinde ab eo in Pannoniam cum copijs *Quæstor Germanicus*, qui mox *Macros* Gentem Dalmaticam prælio vincit, quò sibi ad liberas populationes in Pannoniam usque, viam aperiret.

8. Dalmatæ & Pannonij, rerum inopiã potiùs, quàm armis devicti, à Romanis pacem petunt.

9. Necdum impetratã à Dalmatis & Pannonijs apud Romanos, quam postulabant, pace, Romani cladem non modicam ab iisdem accipiunt.

10. Tiberius Militarem Disciplinam Romanorum in Germania restaurat, & magnam Germaniæ, & finibus Pannoniæ vastitatem inducit. Circa hæc tempora Segestum & Sirmium Romani expugnant, & sui Juris constituunt.

11. Tiberius atque Germanicus easdem vastitates continuant.

12. Tiberius æquiparatur *Augusto* omnibus Provincijs & exercitibus, ita postulante Senatu, & assentiente ipso *Augusto*, ac de Pannonijs triumphum celebrare Romæ intendit, pro quo tamen tempus idoneum necdum advenerat.

13. *Augustus* Cæsar Tiberio ob res præclarè contra Germanos, & Pannonos gestas, in aliud decennium Tribunitiam potestatem concedit. *Augustus* decem Legiones sub finem vitæ suæ, Pannonijs imponit.

14. *Augustus* Imperator moritur, post cujus obitum Luna deficit, quâ Eclipsi Lunæ visâ, & auditâ mortè Cæsaris Augusti, Pannonicæ Legionis tumultuantur, sedantur taamen à *Druso*, illuc à Romanis misso.

15. *Germanicus* junctis cum *Ceiano* copijs, Germanos, & Pannonos terret, & *Arminium* capitalem Romanorum hostem fugere compellit.

16. Tiberius Cæsar ex invidia, *Germanicum*, ut Victoriarum ejus cursum interrumperet, ex Germania revocare, & in Orientem ducere statuit.

17. Antequam *Germanicus* proficisceretur in Orientem, de *Gattis*, & *Cheruscis*, alijsque Germanicis populis magnificentissimum triumphum Romæ celebrat, & loco illius contra Illyricos & Pannonos *Drusus* à Tiberio substituitur.

18. *Germanicus* dum *Drusum* Fratrem sibi contra Illyricos & Pannonos successisse videt, consulatum inquit apud Nicopolim Achaïæ Urbem.

19. *Arminius* Germanicæ & Pannonicæ libertatis contra Romanos vindex, à suis interficitur, anno ætatis trigésimo sexto. *Germanicus*, qui olim Exercitui Romano contra Pannonos præerat, dum in Oriente res ordinat, in morbum incidit, & moritur, non sine suspitione veneni à *Pisone* dati.

20. Germanici cadaver Romam delatum, ingenti omnium luctu excipitur, *Piso* verò accusatus Romæ de morte illata *Germanico* ipsemet se jugulat.

21. *Drusus* à Tiberio ob res bene contra Pannonos gestas secundum in consulatum assumitur. Tiberius Cæsar ineunte Anno in Campaniam secedit: & *Druso* Rempublicam Romanam gubernandam permittit. Thracæ aliqui interim tumultuantur contra Romanos.

22. Juliâ Matre ægrotante & rogante, Tiberius Romam revertitur. Mutatur Tiberius ex optimo Principe in pessimum, operâ *Sejani*.

23. *Drusus* amor ille & Princeps populi, & jam Collega Imperij à Patre dictus, veneno, *Sejani* scelere, tollitur.

24. Romam Tyrannide vexat *Sejanus*.

25. Pannonia hoc anno, in Provinciam Romani Imperij redigitur.

26. *Sejani* audacia, & scelera crescunt indies. Unde etiam.

27. *Agrippinæ* Augustæ struens insidias, suspectum ei Tiberium reddit, quasi veneno eam tollere vellet. Quare cum illa in convivio ab omni cibo abstineret, Cæsar eidem offensus, ipsam fame enecat.

28. *Sejanus* in amicos *Germanici* sævit.

19. Julia, five Livia Mater Tiberij Cæsaris moritur. Tiberius Cæsar in multos exercet tyrannidem, *Sejani* utique consilio, quem is maximis cumulat honoribus.
30. Tiberius *Sejanum* Consulem creat, & ferè parem sibi in Imperio facit.
31. Tiberius Cæsar *Sejano* offenditur, quem ut securiùs perderet, eum per literas Senatui accusat, à quo statim morti addicitur *Sejanus*, & carnificis manu cæditur, ejusdemque corpus unco raptatum in *Tiberin*, unà cum *Liberis*, Senatùs-consulto necatis projicitur.
32. Romæ clades in *Sejani* amicos non nihil interrupta, rursus recrudescit. Ad custodiendos limites Romani Imperij duæ Legiones in *Pannonia*, duæ in *Mœsia*, duæ in *Dalmatia* à Romanis locantur.
33. Ob sævitiam Tiberij Cæsaris, non pauci ex primarijs viris Romanis ad voluntariam mortem sibi inferendam adiguntur.
34. *S. Paulus* ad fidem Christi convertitur, qui postmodum *Illyrijs* quoque prædicavit Evangelium.
35. Tiberius Cæsar sædè in omnes grassatur, & ut occultet sua vitia, nequiorem se collegam, *Cajum Caligulam* adsciscit.
36. Tiberio ægotanti *Thratyllus Mathematicus* fictè prædicit vitam ad 10. annos, hac ratione volens multos morti subducere, alioquin jussu ipsius necandos.
37. Tiberius Imperator in *Lucullana villa* pulvillo suffocatus à *Cajo*, moritur, eidemque succedit ipsimet *Cajus* dictus *Caligula*, initio sui regiminis miræ liberalitatis & clementiæ speciem præferens, & simulans.
38. *Cajus* Imperator vitia, quæ hæctenus subdolè texerat, palàm ostendit, & exinde in omnem libidinem & petulantiam se effundit. *Mœsia* & *Noricum* rediguntur in formam Provinciarum sub *Cajo*.
39. *Cajus* exhaustis per summam insaniam opibus, universas Romani Imperij Provincias, adeoque & *Pannonias* maximis exactionibus atterit.
40. *Cajus* ridiculam suscipit expeditionem, cùm enim in *Gallijs* ad Oceanum ingentem exercitum eduxisset, ad ejus litus machinas disponi jubet. quasi pugnaturus, & mox edicit, ut milites concilia atque ejusmodi maris purgamenta legerent, quibus se & capitolium ditarent.
41. *Cajus Caligula* Imperator interfectis lectissimis viris Romanis, tam ex Equestri, quam ex Senatòrio Ordine, conjuratione Prætorianorum confossus 38. vulneribus, è medio tollitur. Locum ejus, in Imperio occupat *Tiberius Claudius*.
42. Totus Orbis Romanus ingenti laborat fame, quod malum etiam *Pannonia* experitur.
43. Sanctus *Petrus* Romam venit, ibique *Cathedram* constituit, unde in omnes Romani Imperij Provincias, adeoque & in *Pannoniam*, mittere Discipulos ad fidem in Christum propagandam destinat.

44. Sanctus Petrus incipit mittere in Europæ Provincias Discipulos, & Episcopos.
45. Jussu Claudij Imperatoris censa sunt Romanorum Civium sex milliones & 940, millia.
46. Lunæ Ecclipsis totalis per universas Romani Imperij Provincias Die 13. Decembris.
47. Laureacum nobilis & pervetusta Norici, ac dein Pannoniæ Civitas super Danubij & Anasi confluentem, missis à Principe Apostolorum Discipulis, qui Christum annuaciarent, Evangelium suscipit. Cujus primus Episcopus censetur fuisse Laurentius, doctrinâ & sanctitate clarissimus.
48. Beatissima Virgo Dei Mater in Cælum assumitur, in cujus rei memoriam postmodum festum Assumptionis sub Titulo Magnæ Domine celeberrimum evasit in Pannonia.
49. Claudius hoc anno Judæos Româ expellit, quibus cum & Petrus Hierosolymam venit. Agrippina Filia Germanici Neronis ex Domitio Mater, Claudio Imperatori Patruo suo nubit.
50. Vandinus Rex Sueciæ, spoliatus Regno à Jubellio Hirmundaro impetrat à Claudio ad excolendum cum suis agros in Pannonia teste Tacito. Item Nero adoptatur à Claudio Imperatore in Filium.
51. Neroni datur à Claudio virilis toga, Principatus Juventutis, & Proconsulare imperium extra urbem.
52. Claudius atroci Senatus-consulto Astrologos Judiciarios Italiâ pellit, quod ex sideribus futura inquirerent, & multorum ambitum verificarent. Claudius Imperator Legiones Pannonicas minuit, aliò easdem è Pannonia evocando.
53. Nero Annos sedecim natus Octaviam ducit Uxorem, & cum ea quasi dotale accipit Imperium.
54. Claudius Imperator ab Uxore Agrippina veneno tollitur, succedente eisdem Nerone.
55. Nero Claudium sumptuoso funere sepelit, & initio optima quæque de se Senatui, & populo pollicetur, vectigaliâque minuit, interim tamen *Britannicum* veteram Claudij stirpem clam necat.
56. Nero, qui initio Imperij sui summam rerum Agrippinæ Matri ad promittebat, eandem hoc anno satellitio exutam in ordinem redigit, & ipsæ in omnem vitæ licentiam se se effundit.
57. Nero corruptus ab adulatoribus Auslicis suis, in omnem lasciviam ruit, adeo ut servili veste indutus noctibus grassaretur per urbem turpiter.
58. Nero Poppæam Sabinam, ejusdem meretricijs lenocinijs devictus deperit, ideoque Maritum ejusdem Othonem in Lusitaniam non tam procul hæc sciungantur ab invicem Præfectum mittit.

59. Nero instigante Poppæâ Agrippinam Matrem solutili navi imponit, ut Oceano mergeretur, sed periculum evadens ab eodem interimitur.

60. Sanctus Lucas Evangelista postquam Evangelizâset etiam Dalmatiæ, apud Patras Achajæ Martyrio coronatur. Sergius Galba Pannonijs præest.

61. Sub Tyriannide Neronis instar aliarum Provinciarum ingemiscit Pannonia.

62. Nero Affrânium Burchum, Præfectum Prætorij, magnum Reipublicæ virtutis que columen, qui solus eundem à vitijs retrahebat, veneno tollit, & relegatâ Uxore Octaviâ in Insulam, ibique occidit, Poppæam ducit in Uxorem.

63. Nero inter Equestrem ordinem & plebem de industria diffensionis ansam præbet, illorum loca sedilibus hujus præponendo, in Pannonia verò Legiones adauget.

64. Nero Urbem Romanam, excidium Trojæ sibi præsentari cupiens, succendi varijs in partibus curat, quod postea crimen calumniosè Christianis imputat.

65. Nero subitanea iracundiâ ictu calcis Poppæam gravidam interimit. Et primam persecutionem in Christianos excitat.

66. Sancti Petrus & Paulus Romam redeunt, confirmaturi Christianos à Nerone vexatos.

67. Sancti iidem Apostoli jussu Neronis Martyrio afficiuntur.

68. Nero à Senatu damnatus, & ab omnibus desertus fugit ex urbe, atque subinde latebras mutans, tandem desperatione adactus, se ipsum gladio transverberat. Titus Fabius Pannoniæ, Pompejus Syllanus Dalmatiæ præsunt.

69. Succedit Neroni Galba, qui Pisonem adoptat in Collegam Imperij, sed Ortho utrumque interficiens Imperium occupat, at victus post tres menses à Vitellio se ipsum interimit.

70. Interim Vespasianus invitus licet, acclamatur Imperator à Militibus in Syria, qui proinde relicto contra Jerusalem Tito Filio, Romam redit, cui mox plurimæ Legiones adherent, sed præsertim eæ, quæ erant in Mœsia & Pannonia, quarum Præfectus Antonius in Italia adversus Vitellianos pugnans, eorum exercitum opprefferat ipse vero Vitellio, sæpius fugam captans, & se occultans, tandem inventus Carnificis manibus lentis ictibus interficitur.

71. Capitolium exustum restaurat Vespasianus, & eodem curru cum Tito Filio de Judæa triumphat, ac in Pannonia Legiones superauct.

72. Ebioni & Cherintho Hæresiarchis divinitatem Christi negantibus opponunt se S. Joannes Apostolus, & SS Ignatius Martyr, ac Dionysius, qui nefandus error post multa sæcula traductus fuit etiam in Pannoniam per blasphemos Arianos.

73. Tradunt nonnulli circa hoc tempus Andream Apostolum prædicasse Evangelium Russis, seu Ruthenis (uti inter cæteros est Marcus Reguscrus de Re-

gno Slavorum) quorum pars una postmodum sedem fixit in certis partibus Pannoniæ.

74. Addit Bucellinus circa hæc eadem tempora à Sancti Petri Discipulis tunc posita initia prædicationis Evangelij Germanis, cujus fama utique pervenit etiam ad Pannonias, Germaniæ finitimas.

75. Templum Pacis æternæ, à Vespasiano Imperatore Romæ extructum, hoc Anno spolijs Judæorum exornatur & dedicatur.

76. Hadrianus Imperator nascitur. Vespasianus sive ærarij inopiâ pressus, sive genio senum, avaritiâ correptus miras, easque exoticas Pannonijs caterisque Provincijs imponit exactiones, quæ ab ipso Titø Filio improbabantur.

77. Romæ hoc Anno, qui fuit nonus Vespasiani Imperatoris, tanta lues grassatur, sicut dena hominum millia singulis diebus, per multas hebdomadas morentur.

78. S. Linus summus Pontifex, primus Successor S. Petri Apostoli Martyrio afficitur, succedit eidem Cletus.

79. Vespasianus Imperator moritur, succedit eidem Titus Filius.

80. Urbs Romana trium noctium spatio magna ex parte conflamat. Pannoniæ per Proconsules administrantur à Romani.

81. Titus optimus Imperator, unde Deliciæ generis humani est dictus, è vivis decedit, succedit eidem Domitianus ejusdem Frater.

82. Domitianus initio imperij modestiam ac liberalitatem simulans, multa præclare decernit.

83. 84. Domitianus facilitatem quam præ se tulerat, exuit, & crudeliter in multos delævit.

85. Domitianus multos Senatores Romanos in exilium mittit.

86. Domitianus Capitolium, quod Titi tempore iterum conflagraverat, magnificè restituendum curat.

87. Domitianus eò dementiæ prolabitur, ut Deum se dici voluerit, & Palladis Deæ filium.

88. Domitianus Daciam (ubi nunc est Transylvania, Moldavia, & Valachia) Romano Imperio subigere contendit, sed à Decebalo illius Rege fortiter reijcitur. Mox in Marcomannos & Cundo (hodie Moravos, & Silesitas) arma convertit, sed ab his victus, & fugatus mox cum Decebalo pacem init.

89. Domitianus reversus in Urbem ridiculum triumphum de Dacis agit, à quibus tamen repulsus ignominiosè fuerat. Romanis ipsis ejusdem insaniam potiùs quam pompam demirantibus.

90. Domitianus secundam in Christianos persecutionem excitat.

91. Cle-

91. Cletus Papa fit Martyr, succedit eidem Clemens Romanus, Discipulus S. Petri, & in ordine quartus summus Pontifex.

92. Patiuntur plurimi pro fide Christiana, & mortem gloriosam subeunt, etiam Augusti Sanguinis. S. Joannes Evangelista & Apostolus cruciatus in dolio ferventis olei, inde purior, ac vegetior evadit. Id tamen alij ad sequentem annum referunt.

93. Persecutio inchoata à Domitiano, jam ab aliquot annis hoc anno potissimum erumpit. Unde aliqui pro hoc anno ponunt secundæ persecutionis sub Domitiano initium. Illustrat hoc anno primus Consulium Romanorum nomen fide Christi & Martyrio M. Anicius, cujus Posterij post multa sæcula facti sunt Incolæ Pannoniæ, quos inter fuit etiam Frangepanorum Illustris Familia.

94. Domitianus Edictum suum anno priore factum, quo prohibebat novellationem vitium in Italia, & jubebat vineta vel ex integro, vel ex parte succidi, in alijs Provincijs, adurget, cum summo detrimento Incolarum. An autem jam tunc fuerint Vineta etiam in Pannonia incertum est.

95. Domitianus jubet interfici omnes de stirpe David, ne Judæi ullum inde Regem sperantes aliquid moliantur.

96. Domitianus ob summam crudelitatem, à conjuratis, multis vulneribus confossus, cæditur, & Coccius Nerva in Imperatorem e'igitur.

97. Nerva omnes Statuas Domitiani everti jubet; sibi que ullas poni vetat; Accusationes Christianismi prohibet, augmentum tributarium pœnæ nomine abrogat, multaque alia laude digna præstat, atque in Successorem Imperij, neglecti propinquis suis M. Ulpium Trajanum, tunc Germaniæ & Pannoniæ Præfectum adoptat.

98. Nerva Imperator correptus febris in hortis Sallustianis 6 Kalenda Februarij moritur, cum imperasset anno uno, mensibus quatuor, diebus undecim, succedit eidem Trajanus.

99. Trajanus Romam veniens, cum applausu Senatûs, & populi excipitur, optimique regiminis dat initia, prohibitis tamen Sodalitijs, Præfectis, ac Præsidibus Provinciarum, dat occasionem in Christianis sæviendi.

100. Claudit hoc sæculum beata mors S. Joannis Apostoli & Evangelistæ. S. Clemens Papa in Chersoneso Martyrio afficitur. Decebalus Rex Dacorum à Romanijs deficit. Trajanus Legionem decimam tertiam ex prima Pannonia ad bellum Dacicum deputat, & in locum illius primam & secundas Adjutricem, in Pannoniam deducit.

101. Trajanus Imperator contra Decebalum Dacorum Regem proficiscitur, cumque devincit, ingenti tamen utrinque cade, Decebalus verò ne Romam in triumphum duceretur, ipse sibi mortem adsciscit. Thesauri tamen ejus sunt inventi, licet eos in Sarvetiæ fluminis alveo (qui nunc Strol dicitur ab Incolis Hungaris, Istrique

Germanis, in parte meridionali Transylvania, & in Merisum fluvium se exonerat, testibus Sambuco, & Lazio) defodisset.

102. Trajanus debellato Decebaldo, Danubium ponte lapideo jungit cujus nunc etiam vestigia extant.

103. Trajanus Daciam in Pannoniæ formam redigit, Coloniâ Zarmigethusâ, quæ Vlpia Trajana nominata est in eam deducta, & in tractu illo, qui nunc est inter Albam Juliam, & Cibinium collocatâ.

104. Trajanus bello Dacico confecto, & Deceballi capite allato (quod Romanis tantum voluptatis exhibuit, quantum ejus nomen præterris terroris incusserat) in urbem veniens, multarum gentium Legationes excipit.

105. Trajanus contra Armenos & Parthos, proficiscitur.

106. Trajanus subactâ Armeniâ, finitimos Reges sine certamine in deditio-nem accipit.

107. Trajanus in Oriente versans tertiam persecutionem in Christianos edicit.

108. Plurimi Christiani per Provincias Romani Imperij Martyrio afficiuntur.

109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. His Annis ubique sed præsertim in Oriente, ubi Trajanus morabatur, in Christianos atrocissimè sævit persecutio. Extremis tamen Imperij sui annis remittit aliquid à persecutione Trajanus, quod Syriæ Præses moneret: non se parem Occidentis, qui sponte se ad Martyrium offerrent.

117. Trajanus movens in Mesopotamiam, Hadriano in Syria relicto, apoplexiâ, & aquâ intercute laborans perlatus Selimunte Celiciæ, moritur quare eadem dicta est postea Trajanopolis. Succedit eidem in Imperio Ælius Hadrianus illius Nepos.

118. Hadrianus Imperator Romam venit, & tributa Fisco, aut arario debita in annos 16. remittit, tabulis publicè crematis; indeque profectus in Mœsiam (ubi nunc est servia & Bulgaria) cum Sarmatis & Roxdanis pacem componit. Persecutio quarta in Christianos ab Hadriano indicitur, vel potius Trajani continuatur.

119. Prædicta persecutione Evaristus Papa Martyrio coronatus, cui subrogatur Alexander ordine Septimus Pontifex, qui afflictæ Ecclesiæ providet.

120. Hadrianus Nicomediam & vicinas Urbes terræ motu everfas, publico sumptu restaurat, visitat Galliam, Germaniam, ac Britanniam, severè ubique inquirens in Provinciarum Præsides.

121. Hadrianus Britanniam visitans, murum 80. miliarium construi jubet, dividentem Romanos à Barbaris.

122. Hadrianus reversus ex Oriente, ruffus Galliam, post Hispaniam lustrat, & securitati Provinciarum providet, sævit interim in Italia persecutio.

123. Hadrianus in Orientem redit, & Parthorum motus colloquio solo componit, inde venit in Græciam, & Athenienses in ordinem redigit. Martyrum per orbem ingens numerus, totis urbibus se ad mortem offerentibus.

124. Hadrianus Hyeme Athenis transactâ Romam redit, sed antea eidem Quadratus Episcopus, & Aristides Philosophus Atheniensis Apologiam pro Christiana Religione porrigunt, quâ inflexus Hadrianus faciliorem se adversus Christianos præbet.

125. Hadrianus visitat Africam, multaque beneficia Provincijs indulget.

126. 127. 128. Hadrianus redux, ex Africa Athenas sibi charissimas invisit, ibique exactâ alterâ jam Hyeme, in Asiam migrat, & Toparchas varios, Regesque, ac præcipuè Chosroëm Parthorum Regem ad amicitiam magnis beneficijs invitât, excessusque Præsidium Provinciarum qua qua transit examinat, & corrigit, eosque pro meritis præmiat, vel punit.

129. Hadrianus venit in Syriam, eamque à Phœnicia separare conatur, ne Antiochia, cui insensus erat, tot Urbium & Provinciarum esset Metropolis; post Hierosolymas funditus à Tito dirutas restaurare aggreditur.

130. Hadrianus circa Hierosolymam aliam Urbem extruit, quam Æliam Capitolinam nuncupat, adjuncto Jovis Capitolini templo, ubi olim Sanctum DEI Templam fuerat: Inde in Arabiam pergît, & Pelusiam veniens sepulchrum Pompeij magnificentius extruit.

131. 132. 133. Judæi in Syria ob profanata Hierosolymis ab Hadriano loca sacra, arma corripiunt, quâ occasione plurima millia eorum cæduntur.

134. 135. Judæis per omne Imperium Romanum rebellantibus Hadrianus opponit Julium Severum, qui multitudinæ eorum territus, non audet cum ijs aperto Marte congredi, sed singillatim lento bello at minore periculo, comœatu undique prohibito, varijsque stratagematibus usus, faméque edomitos intra triennium ita atterit, ut pauci ex hoc tumultu superstites manserint. Ac demum captâ *Bethive* & 50. arcibus munitissimis Judæorum funditus everfis, & in excursionibus per se, suosque cœsis 580. millibus, bello Judaico finem imponit.

136. Julius Severus confecto bello Judaico ad Bithyniam administrandam à Hadriano mittitur.

137. Dux Limitis Illyrici (ubi nunc Austria inferior) Consulari ejus Provinciæ Præsidi in partem laborum ab Hadriano assignatur. Hadrianus Imperator adoptat in Filium *Commodum Verum*, eumque Ælium Verum Cæsarem appellat, qui statim Prætor factus, Pannonijs Dux & Rector præponitur.

138. Interea anni hujus exordio Ælius Verus Cæsar à Hadriano adoptatus, moritur, quare Hadrianus, ingravescente morbo sibi in Successorem adoptat Antoninum Pium, atque eodem anno vivis decedit, cui statim Antoninus Pius succedit.

139. Antoninus Pius Imperium à clementia, mansuetudine, & liberalitate feliciter auspatur.

140. Persecutio sub Hadriano excitata per Apo'logiam S. Justini pro Christianitate Antonino Pio datam aliquantisper mitigatur.

141. Tranquillitate Antonini Pij Imperatoris fides Christiana propagatur, & usque ad Sarmatas, Dacos, Germanos, & Scythas profertur.

142. Nesciente Antonino nihilominus Præfecti Provinciarum in Christianos sæviunt.

143. Antoninus Imperator vetat legi libros Sibylinos, eò quòd in illis Religio Christiana stabiliri videretur.

144. Romanum Imperium diversis cladibus affligitur, plerique existimarunt vindice DEO id fieri, ob tot Christianos necatos. Quare Antoninus timore percussus, rescripto edito persecutionem cohibet.

145. 146. 147. 148. Temporibus Antonini Pij Imperatoris florent Viri in omnibus fere Disciplinis celeberrimi.

149. Tranquillitas orbis maxima dum Antoninus Pius non solum exactiones prohibet, sed omnes ex suo adjuvat & sublevar.

150. S. Justinus alteram Apologiam pro Christianis tradit Antonino Pio Imperatori ejusque adoptivis Filijs Marco & Lucio Philolophis Senatui denique, & ipsi Populo Romano.

151. 152. Multa iterum funesta Romanis accidunt, ideòque iteratò Antoninus Imperator Decretum de non persequendis Christianis emittit.

153. 154. 155. Dum à persecutionibus quiescit Ecclesia, ejusdem unitatem Valentinus, & Cerdo, Hæresiarchæ perurbare conantur.

156. Hyginus Papa moritur Martyr, succedit eidem Pius Aquiliensis.

157. Pius Papa traditionem Apostolicam de celebrando Paschate Die Dominico, Decreto suo contra Judaizantes, & Quartadecimanòs confirmat.

158. 159. 160. Multæ Nationes etiam remotissimæ æquitate Antonini Pij permotæ, depositis armis, se illius arbitrio submitunt.

161. Hoc anno Antoninus Imperator, rebus suis, & suorum bene dispositis, moritur. Succedunt eidem M. Aurelius Antoninus Philosophus, & Lucius Ælius Verus Antoninus.

162. M. Aurelius, Lucium Verum Collegam Imperij & Fratrem in Orientem mittit, qui in omnem intemperantiam effunditur, per suos tamen Legatos rem contra hostem feliciter agit.

163. 164. Persecutio in Christianos sub novis Imperatoribus rursus recrudescit.

167. Pius Papa Martyrio coronatur, eique succedit Anicetus, Syrus.

166. Redit hoc anno confecto per suos Legatos bello Parthico, & Armeniâ subactâ, Lucius Verus, & ambo Imperatores Armenici & Parthici dicti, decreto Senatûs triumphant.

167. Marcomanni interim à Romanis deficiunt.

168. Ambo Imperatores ad bellum Marcomannicum magno apparatu se accingunt.

169. Inchoatur hoc anno bellum Marcomanicum, quibus multæ gentes (quas inter fuisse etiam vicinos Pannonos est credibile) se adjungunt, & Romanis strenuè resistunt. Quæ causâ fuit, ut ambo Imperatores compositis Illyrici rebus, Italiâque ita munitâ, ut nihil à Marcomannis erumpentibus timendum esset, Romam redeunt; dum interim Lucius Ælius Verus apoplexiâ tactus, in itinere moritur. Addunt tamen aliqui Marcomannos Imperatoribus obviam Legatos suos misisse, qui multorum defectionis deprecarentur veniam, sicque Imperatores Romam redire statuisse.

170. M. Aurelius ingentem undique contrahit pecuniam, pro Bello Marcomannico restaurando. Marcomanni vicissim ad sui defensionem adversus Romanos strenuè se parant, & vicinos Populos, adeoque & Pannonios ad suas trahunt partes.

171. Variante Marte, pugnatur Romanos inter, & Marcomannos.

172. Marcus Aurelius Marcomannos & Jaziges in ipso Istri glacie adstricti transitu, vincit.

173. Marcus Aurelius deceptus ab impostore quodam Alexandro nomine, sibi victoriam de Marcomannis & Quadis pollicente, 20. millium suorum stragem accipit.

174. Marcus Aurelius à Marcomannis, Quadis, & vicinis alijs Populis, adeoque & Pannonijs cum toto suo exercitu circumclusus, & toto exercitu siti atque aestu penè enecto, jubet Christianos Legionis duodecimæ Melytenæ, precari DEUM suum, & implorare auxilium, quod frustra ab Idolis suis speraret. Illi flexis Genibus, statim impetrant copiosum imbrem, simulque grandinem, & fulmina contra hostes, sicque Imperator de iisdem insignem reportat victoriam. Agnovit Imperator hanc gratiam à DEO Christianorum factam, uti ipsemet ad Senatûm datis Litteris perscripsit. Unde etiam edicto cavet, ne deinceps quis, solo nomine Christianitatis accusaretur, imò sic accusantes iussit igne comburi. Addit autem Imperator in iisdem Literis, se dum eas scriberet in media Germania fuisse, montibus undique conclusum: Unde aliqui putant hoc prælium in inferiori Pannonia, ubi nunc est Austria, contigisse.

175. Falso rumore sparso, quasi in hoc prælio M. Aurelius occubisset,

Avidius Cassius in Oriente Imperium invadit, verum veritate rei comperta de vita Cæsaris superstitè, is à proprijs Militibus unà cum filio interimitur.

176. *M. Aurelius* Ægyptum & alias Provincias Orientis visitat, & *L. Commodum* filium sui Successorem in Imperio declarat, Pannonia inter Proconsulares Provincias Romanorum refertur.

177. Recrudescit hoc anno iterum in Christianos persecutio, quæ ut cunque Edicto Aureliani fuerat compressa. *Marcus Aurelius* rursus contra *Marcomannos*, *Quados*, *Sarmatas*, aliósque Populos ijsdem adhærentes, bellum triennale suscipit.

178. 179. 180. *Marcus Aurelius* triennio hoc, ita attrivit hostes *Marcomannos* & *Quados*, ut si superesset annus, eorum Regio in Provinciam convertenda videretur. Demum anno 180. moritur *Vintibone* (quæ nunc est *Vienne*) in Pannonia, inediâ voluntariâ accitâ sibi morte. Succedit eidem *L. Commodus Antoninus*, Filius.

181. *Commodus* Antoninus Romam redit, rebus ut cunque in Germania & Pannonia compositis, & de hostibus *Marcomannis* & *Quadis* triumphum instituit, quos tamen adhuc integros, & ultionem spirantes reliquerat.

182. 183. *Commodus* Imperator longe dispar parenti, vitæ suæ turpitudine, aulam Romanque defœdat.

184. 185. *Commodus* Imperator ob vitæ turpitudinem odium & contemptum Senatûs incurrit, qui proinde in eum conspirat, & è medio tollere statuit.

186. Re hac patefactâ *Commodus* in Senatûm & Cives sævit, & opulentissimos quosque vitâ privat.

187. Venalia omnia officia proponit *Commodus*, ita ut uno anno 25. Consules legerentur. *Septimius Severus* Proconsulari Imperio Pannonias regit.

188. 189. *Commodus* Imperator totum quantum se voluptatibus turpissimis tradit, prorsus omisâ cura Imperij.

190. *Commodus* Imperator vult haberi, & dici *Hercules Filius Jovis*, unde *Colosso* aufert caput solis, suumque substituit.

191. *Commodus* Imperator varia spectacula Romanis exhibet, plurimâsque feras ipsemet ex theatro *Sagittis*, & hastis conficit.

192. *Commodus* Imperator dum Romam per summam dementiam incendere statuit, ac plerósque Romanorum, etiam Senatorum, aliorumque familiarum morti destinat, ab his præventus immisso *Narcisso* Athleta, cum quo luctari solitus erat, compressis faucibus strangulatur.

193. Incunte hoc anno *Helvius Pertinax*, à Militibus invitatus in Imperatorem

torum eligitur, & mox etiam à Senatu confirmatur, sed post dies 88. à Prætorianis Militibus confoditur Didij Juliani seelere; qui pactione pecuniariâ à Militibus imperium emit, sed populo invisus, Senatûs sententiâ post 65. dies sui Imperij obtruncatur. Interim Septimius Severus in Pannonia Sabaria, Carnuti, à Militibus Imperator acclamatur: Et Pescenius Niger in Syria, ac Clodius Albinus in Britannia sibi Imperium usurpant. Sed Septimius Severus rerum potitur, oblatâque Cæsaris dignitate Albino, eundem sibi reconciliat, contra Pescenium verò ducit exercitum.

194. Pescenius Niger varijs prælijs à Severi exercitu victus tandem obtruncatur.

195. Severus Imperator Bizantinos Pescenij Nigri partes obstinatè defendentes obsidione vexat, Ducésque Nigri ac Tribunos occidi mandat.

196. Severus Imperator obsidionem Bizantij per suos Duces urget, ipse verò contra Barbaros Pescenij Nigri fautores bellum movet.

197. Severus Bizantinis ad deditionem post triennem obsidionem adactis, libertatem & mœnia aufert, & in vilem quasi vicum redigit, ipse verò Romam cum triumpho redit, ac in itinere filium Bassianum Cæsarem creat.

198. Severus Imperator in Galliam contra Albinum proficiscitur, à quo quidem primo conflictu vix non superatur, sed iterum ad Lugdunum majore contentione eundem aggressus, vincit, ac semineci caput abscindi curat, Romamque ovans regreditur.

199. Severus ex Senatûs-consulto Bassianum Filium Imperij Collegam declarat.

200. Severus in Orientem profectus, Parthis Seleuciam & Babylonem ab Incolis desertas Urbes, adimit.

201. Severus in Ægyptum venit, atque hujus Regionis loca antiquis monumentis famosa percurrit.

202. Severus gravissimam persecutionem, quæ in ordine quinta nuncupatur, in Christianos excitat.

203. Severus Romam ex Ægypto rediens cum Filijs, de Parthis alijsque Nationibus, magnificè triumphat.

204. 205. Ludos Sæculares, Romanis cum Spectaculis, Severus Imperator exhibet.

206. Sublato & interfecto jussu Severi Imperatoris Plantiano summo Christianitatis hoste, & qui omnia apud Imperatorem poterat, ita ut videretur Imperatoris Imperator, Persecutio in Christianos magna ex parte mitigatur.

207. 208. Severus bellum in Britannos, qui fines transgressi Romanam

ditionem invaserant, parat, ac post unà cum Filijs, & Exercitu eò proficiscitur.

209. Severus Imperator Britannos repellit, & muro 130. milliarium, intra suos fines coërcet.

210. Severus Imperator Getam Filium præficit illi parti Britannia, quæ Romanis parebat, adhibitis illi prudentibus Consiliarijs, alterum verò Filium Antoninum retinet secum, eique bellicas expeditiones committit. Dacia & Pannonia administrantur per diversos Præsides Romanos.

211. Severus Imperator moritur Eboraci in Britannia, succedunt eidem dem Filij Antoninus & Geta, alter alteri insidiantes, qui redeuntes ex Britannia, deserunt secum cineres Parentis Romam.

212. Antoninus Imperator, dictus Caracalla à vestis genere quam Romano Populo dedit, Getam Fratrem, in ipso gremio Matris interficit, ac dein in ejus fautores crudelissimè sævit.

213. 214. Antoninus Imperator ad Istrum, & in septemtrionales partes proficiscitur, easque Regiones perlustrat.

215. Antoninus Antiochiam venit, ibique parum moratus Alexandriam properat, multosque ex Alexandrinis, eò quòd aliquando malè de ipso locuti fuerint, per suos milites occidi curat.

216. Antoninus Imperator Antiochiã movet in Parthos, & ab eorum Rege callidè Filiam sibi petit in Uxorem, quo sub dolo prætextu pacificè admisus in Provinciam, eandem ex improvise aggreditur, vastat, ac exspoliat.

217. Antoninus Imperator, jussu Opilij Macrini Præfecti Prætorij à Martiali Centurione interficitur, & Macrinus pollicitationibus impetrat à militibus Imperium, ac Diadumenum Filium, statim in Collegam Imperij sibi assumit.

218. Macrinus unà cum Diadumeno Filio occiditur à Militibus, succedit eidem Heliogabalus, aliàs dictus Sardanapalus.

219. 220. 221. Heliogabalus Romam venit, & luxuriosã, ac impurissimã vitã urbem contaminat. Interim tamen adoptat Alexandrum Mammææ Filium, Patruelem suum, eumque Cæsarem appellat. Interea Dacia & Pannonia unà cum reliquis Romani Imperij Provincijs incuriã Imperatoris plurimum labefactantur.

222. Heliogabalus ob nefandas turpitudines omnibus invisus, militari tumultu, unà cum Matre occiditur. Cui succedit Alexander, à Mammæa Matre sanctè institutus, ac educatus.

223. 224. Præclara dat Alexander Imperij sui initia, sæpius illud Christianum axioma interans: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

225. Alexander labefactatam à suis Antecessoribus Rempublicam, salutaribus Legibus instituit.

226. Alexander Thermas Romæ ædificat, de suo Nomine Alexandri^{as} nas dictas.

227. 228. Alexander Imperator optimè de re Christiana sentiens, totus est in libidine, alijsque vitijs ex urbe profligandis.

229, 230. Nihil Alexandro charius pace, qui proinde in Præsides Provinciarum, præsertim magis remotarum, uti erat Dacia & Pannonia, severè inquiri, & ne subditi affligerentur, diligenter cavet.

231. 232. 233. Pergit Alexander Imperator in prudenti, clementi ac pacifica gubernatione Imperij, quod efficit dum doctissimos quosque & aptissimos adhibet Ministros ad Reipublicæ & Provinciarum administrationem.

234. Alexander Imperator Artaxersem invadit, atque officio & boni Militis, & boni Ducis functus, nobilem de Persis victoriam reportat, spolijs ditatum Exercitum Romam reducit, triumphumque de hostibus celebrat.

235. Alexander Imperator tumultuantibus Germanis in eodem bellum movet, coactus ferè, utpotè pacis amantissimus, quâ occasione cum esset Militaris Disciplinæ retinentissimus, ob excessus militares aliquot Legiones exautorat, unde odium apud cœteros milites incurrit, & ab ijsdem interficitur. Post cujus mortem, Maximinus Gotho Patre natus, & Mana Matre, gente & moribus Barbarus invadit Imperium, & Augustus ab exercitu appellatur, qui mox sine Senatûs autoritate Filium suum Cæsarem dicit. Atque confecto bello Germanico feliciter, venit in Pannoniam, Syrmijque hibernat, ubi datâ Præfectis potestate læviendi, prædandi, atque furandi, non Imperatorem, sed Tyrannum agit.

236. Dum in Pannonia, ac per totum Romanum Imperium non imperat, sed furit Maximinus, Exercitus qui erat in Africa ortâ seditione Gordianum, Africanum Proconsulem ætate senem, invitum & repugnantem eligit in Imperatorem, eidemque dat pro Collega Filium Gordianum Junioem.

237. Gordiani ambo in Africa occiduntur à Capelliano Duce *Maximino*. Interim Senatus eligit in Imperatores Marcum Clodium Pupienum Maximum, & Decimum Cælium Balbinum, quibus adjectus est à populo & militibus Cæsar, puer Gordianus senioris Gordiani nepos, cui hi velut avitum Imperium conservarent. Maximinus interea ex Pannonia movens superatis Alpibus Italiam ingreditur, & dum Aquileiam obsidet à suis Militibus unâ cum Filio interimitur.

238. Pupienus & Balbinus qui erant potiùs Tutores Gordiani pueri Imperatoris, quàm Imperatores, Populo accepti & gratissimi, sed in visâ Militibus,

ab his interficiuntur, solusque Puer Gordianus imperare incipit, magno favore tam Senatûs, quàm Populi. Procurator Pannoniæ datur Cornelius Fuscus, qui succedit Tito Fabio genere conjuncto Fabiano Pontifici, hoc ipso anno electo.

239. Pacificè gubernat Imperium Gordianus Junior, pace quòque fruantur Christiani sub modestissimo Juvene.

240. Sabjanus in Africa rebellat Gordiano, sed hic reprimitur per Mauritanix Præsidentem, & Ducem Gordiani.

241. Grave bellum imminet Romanis, Persis foedè Mesopotamiam populantibus. Unde videns Juvenis Imperator se egere consilio hominis sibi additissimi, ducit Uxorem Misithei viri doctissimi & eloquentissimi filiam, illiusque consilij utens, prudentiâ supra ætatem, aulam & Imperium gubernat.

242. Gordianus cum ingenti exercitu proficiscitur ad bellum Persicum, & frequentibus prælijs Persas vincit, Misithec Socero suo ac Præfecto omnia prudentissimè disponente, præsertim in annona militari providenda.

243. Moritur Misitheus, quo extincto, exercitus annonæ caritate laborans, & Gordiano imperitiam exprobrans, Philippum Arabem Præfectum ac Tutorem Gordiani creat.

244. Dum Gordianus Romam cogitat, ut de Persis triumphum ageret, jubente vel connivente Philippo, ab Exercitu Imperio privatur, ac paulo post occiditur. Princeps aliàs omnibus animi & corporis dotibus ornatus, & cui nihil aliud deesset ad Imperium, præter ætatem. In cujus locum eligitur à Militibus Philippus, Præfectus prætorij, qui mox in consortium Imperij assumit Philippum Filium.

245. Philippus Imperator pace cum Persis stabilitâ, ædificatâque urbe Philipopoli in Arabia, Romam unâ cum Filio Philippo proficiscitur. Senatus verò confirmat Philippum Imperatorem, ejusdemque Filium Philippum Imperij Collegam creat.

246. Utërque Philippus Imperator operâ Fabiani Papæ Christianam amplectitur fidem.

247. Philippus Pannoniæ charus, eos multis beneficijs afficit: nam & Ecclesiam Laureacensem hætenus pauperem magnificè ditavit, & ut multi de populo salutari lavacro abluerentur author fuit. *Fabiana* verò quæ hodie est Vienna Austriæ Metropolis, per Euthorium postea Lauracensem Episcopum, Fides Christiana, mirè propagatur.

248. Philippus contra Carpos suscipit expeditionem, qui Istro circumposita loca, suis excursionibus vastabant, de jisque triumphat.

249. Philippus Imperator unâ cum Filio à Militibus occiditur, ille Veronæ,

ronæ, hic Romæ. Succedit in Imperio Decius ex inferiore Pannonia ortus Cibali Urbe natus, vir fortis ac bello clarissimus, qui mox Hetruscum Filium Cæsarem dicit.

250. Decius ex odio in Philippos Christianos Imperatores gravem persecutionem in Christianos movet, quam fugiens S. Paulus Primus Eremita in Eremum se recipit. Quam eandem persecutionem fugiens Maximilianus Celenus Celeje Pannoniarum, genere nobili ortus, Romam venit, ibique aliquot latet annis.

251. Decius Imperator dum adversus Gotthos Mœsiam & Thraciam infestantes decertat, à Trebunio Gallo Limitanei Exercitûs Duce, proditus, anisso in prælio Filio, ipse equo salutem captans, in profundam paludem demersus interit. Succedit eidem ille ipse Trebunius Gallus, qui mox Filium suum Volusianum in Collegam Imperij sibi adsciscit.

252. Dira pestis ex Æthiopia exorta totum Imperium Romanum miserabiliter depascit, ac ipsam quoque Romam.

253. Dum pessimè administrant Imperium Gallus & Volusianus, plurimæ Provinciæ à Romano Imperio deficiunt, inter quas & Pannonia, quâ occasione Æmilius Æmilianus Pannonicarum Legionum Dux, ab Exercitu acclamatus Imperator, qui statim in Italiam properans, obvius sibi Gallum & Volusianum Imperatores prælio vincit, & hi à suis militibus interficiuntur, ac Æmilianus ab iisdem Augustus appellatur, sed trimestri duntaxat Imperio functus ab iisdem occiditur.

254. Succedit in Imperio Lucinius Valerianus ab Exercitu creatus Imperator, & à Senatu confirmatus, qui simul ejusdem Filium Gallienum Cæsarem dicit.

255. 256. Marcomanni iterum Provincias Romani Imperij vastant.

257. Novam persecutionem Valerianus contra Christianos instituit.

258. Valerianus relicto in Occidente Gallieno Filio ipse in Orientem contra Persas progreditur. Interea.

259. *Ingenus* (alijs *Eugenius*) qui tunc regebat Pannonias à Mœsianis Legionibus Imperator acclamatur, sed hic celeriter per *Celerem Verianum* oppressus, ne ad Gallieni manus deveniret, se pugione confodit.

260. Valerianus Imperator à Sapore Rege Persarum comprehenditur, & ab eo captus, instar vilissimi mancipij tractatur, ac postmodum vivus excoriatur. Gallienus solus imperat. Hoc eodem anno S. Maximilianus à Sixto Pontifice missus in Pannoniam revertitur, & ingenti cum fructu laborat in Vineâ Domini.

261. Gallienus clade Patris recipiscens, persecutionem in Christianos

comprimit, promulgatâ ubique pace. Idem Gallienus Pannoniæ superioris partem concedit *Pipæ* Marcomannorum Regis Filix, dum eam Matrimonij spæ à Patre suscipit.

262. Rebellionibus Imperium dissipatur, plurimique passim salutantur Imperatores, sed omnes pereunt invidiâ.

263. Occisis Tyrannis alij alijque insurgunt, Gallienus interim decennarem Imperij sui, exquisito voluptatum luxu, Romæ celebrat.

264. Dum Gallienus luxu marcessit, & voluptatibus se immergit, Odenatus, Orientis Imperium tuetur, ac Persas vincit, unde etiam Augustus à Gallieno dicitur.

265. Dacia & Pannonia secessionem à Romanis moliantur.

266. Odenatus in Oriente insidijs Mœonij sui Consobrini unâ cum Filio Herode perimitur.

267. Dacia à Trajano quondam ultra Danubium, Imperio Romano adjecta, ab eodem avellitur.

268. Pannonia à Sarmatis & Quadis vastatur. Item pars illa Pannoniæ superioris, quam Gallienus Imperator Pipæ Marcomannorum Regis Filix concesserat, à Romano Imperio separatur. Aureolus ex Pannonijs, quas tenebat, Romam contendens, à Gallieno vincitur, & Mediolanum usque fugatur. Ipse verò Gallienus dum Mediolanum obsidet, nocte intempesta à suis confoditur, unâ cum Valeriano Fratre, in ejusque locum in Imperatorem eligitur ab exercitu Claudius, Origine Dalmata, Senatu universo illius electionem approbante, qui Aureolum prælio victum occidit.

269. Claudius Gotthos Romanum Imperium, & præsertim Illyricum vastantes insigni prælio devincit.

270. Claudius Imperator extinguitur, succedit ei ejusdem Frater Marcus Aurelius Quintilius, sed post 16. dies à suis Militibus cæditur. Post quem communi Legionum suffragio eligitur in Imperatorem L. Domitius Aurelianus, Sirmio in pannonia oriundus, obscuro quidem genere natus, sed rebus gestis clarissimus.

271. Marcomanni & Alemanni, quibus haud dubiè immixti erant etiam Pannonij, Italiam subeunt, ac circa Mediolanum omnia vastant, cum quibus dum Aurelianus fortius quàm cautiùs pugnat, ingentem ab ijs cladem accipit, qui tamen recollecto milite carptim hostes aggressus omnes fere confodit, ac dein Victor in Urbem redit.

272. Aurelius in orientem contra Zenobiam Odegati Viduam expeditionem suscipit.

273. Aurelianus, Zenobiam devincit fuso fugatoque illius exercitu, ac ejus Ditiones Romano Imperio iterum adijcit.

274. Aurelianus ex Oriente Victor Romam redit, & magnificentissimum triumphum celebrat. Daciam autem Provinciam, quæ se in Anno 267. ab Imperio Romano separaverat, studio, ac ex proposito recuperare negligit, negans eam utilem esse Imperio Romano, & multorum bellorum inanium esse causam.

275. Aurelianus Imperator dum contra Persas proficiscitur, Mnestei Notarij sui fraude occiditur. In ejus locum à Senatu, M. Claudius Tacitus eligitur.

276. Tacitus Imperator Scythas Asiam excursionibus suis vexantes ad internecionem delet, & eodem Anno seu morbo, seu suorum insidijs vivere desijt. Mox Imperium invadit ejusdem ex Matre Frater M. Annius Florianus, quasi jure hæreditario, non expectatâ Senatûs, aut Legionum voluntate, verum is post duos Menses cæditur, dum interim electus fuisset à Militibus in Imperatorem M. Aurelius Probus Pannonius, ex Civitate Sirmiensis, Matre illustriore, quàm Patre progenitus.

277. Probus Imperator Germanos Gallias vestantes devincit, & 60. Civitates ab iisdem occupatas, recipit, hostesque ad sua redire compellit.

278. Probus in Isauria, Lydium & Palsurium Latronum Principes, pertinaci bello vincit. Sed hoc alij referunt ad Annum post sequentem.

279. Probus in Illyrico Sarmatas, unâ cum alijs Barbaris cõ progressis, debellat. Item Pannonijs popularibus suis gratificari cupiens, vites habere permittit, quod antea vetuerant alij Imperatores. Primus igitur Alnum montem juxta Sirmium militari operâ vitibus consedit. Unde postmodum & apud Pannonios, & apud alias gentes, ipsosque Romanos. Vinum Sirmienfe in pretio semper fuit, & nunc apud Hungaros est.

280. Probus Imperator multas res præclaras in Oriente agit, Romam nûmque Imperium protendit.

281. Probus ex Oriente rediens per Thraciam, rebelles Barbaros cõterit, & in ordinem redigit.

282. Probus Imperator ad Persicum bellum se parans, ob severitatem in Milites, in Pannonia ad Sirmium (frustra ad Turrim ferratam confugiens) ab iisdem occiditur, eique M. Aurelius Carus, Romæ ex Parentibus Illyricis natus substituitur, qui statim duos suos Filios Cæsares creat, & Carinum quidem ad Gallias tuendas destinat, Numerianum verò apud se detinet.

283. Carus Imperator bellum Persicum aggressus, facile Mesopotamiam capit, Persis domestica seditione occupatis, sed paulo post ægritudine correptus,

reptus, vel ut quidam volunt fulmine tactus extinguitur. S. Maximilianus Laureacensis Episcopus, & Pannoniarum Apostolus, Martyrio afficitur, Cileæ sub Evlasio, tunc Pannoniæ Praefecto.

284. Numerianus Filius Cari Imperatoris, dum Parentis mortem luget, ab Arrio Apro Socero suo, Imperium affectante cæditur. Quo occiso Militiæ Duces ac Tribuni, Valerium Dioclem (qui postea Diocletianus dictus est) Natione Dalmatam, obscuris Parentibus natum, in Pago Diocle prope Salonas in Imperatorem eligunt. Cùm & toti Ecclesiæ præesset, eodem tempore Cajus pariter Dalmata Filius Maximi seu Maximini Fratris ipsiusmet Diocletiani.

285. Carinus alter Filius Cari, & frater Numeriani, dum adversus Diocletianum progreditur in Mœsiam, acie victus apud Murgum (nunc Eszkinum) à proprijs Militibus interficitur.

286. Varij in diversis Regionibus sibi usurpare Imperium conantur. Quam ob causam Diocletianus Maximilianum Herculium Augustum, & Collegam Imperij creat, ut sic fortiùs ac efficacius cæteros Tyrannos & Imperij invalores opprimere valeat.

287. 288. 289. Extinctis Tyrannis Diocletianus & Maximianus de cæterò liberè Imperium administrant.

290. Otio usi Imperatores contra Christianos, plurimos Martyrio afficiunt.

291. Cùm bella undique imminerent ac seditiones, neque tot turbis atque locis pares se judicarent duo Imperatores, ambo in Cæsares seu Collegas assumunt Duces bellicà laude inclytos, Diocletianus quidem Constantium Chlorum, Maximianus autem Gallerium Maximianum Armentarium, in Dacia Ripensi prope Sardicam ortum, atque huic Diocletianus dat in Uxorem Filiam suam Valeriam, quam unicè dilexit, adeò ut ex ea partem unam Pannoniæ deinceps vocari jufferit Valeriam, & ad Danubij ripam fixerit ac extruxerit urbem Valeriam, in monumentum Paterni sui amoris in illam, ipsi verò Gallerio commisit partes Pannoniæ, & ora Illyrici usque ad Pontum Euxinum pro defensione ac gubernio.

292. Hoc anno Chloro Constantio & Gallerio Armentario Neo Cæsaribus data est Tribunitia potestas, ut plus possent ac meliùs animati, fines Imperij sibi commissos tuerentur.

293. Diocletianus Imperator adorari se ut DEUM jubet, & in Christianos sævit crudeliter, interim Britanniam astu & seditione *Allecti* deperdit.

294. Diocletianus Imperij sui decennalia celebrat, Maximianus verò contra Sarmatas expeditionem suscipit.

295. Ex victis anno priorè Carpis, Bastarnis & Sarmatis ingentes captivorum

vorum copiæ, in finibus Romanorum ab Imperatoribus collocantur. S. Sufanna Filia Gabini alterius Filij Maximi, seu Maximini Fratris Diocletiani, jussu ejusdem Diocletiani Martyrio afficitur.

296. Ambo Imperatores, & uterque Cæsar diversas expeditiones bellicas suscipiunt. Et quidem Diocletianus expugnat in Ægypto Alexandriam, & cædibus, ac proscriptionibus sævit in rebellionis auctores. Chlorus Constantius occiso *Allecto* invasore, Britanniam recuperat, Maximinus Hercules in Africa contra Quinquegentianos feliciter pugnat, at Galerius Maximianus Armentarius à Persis vincitur, & amisso exercitu fugatur, ob idque à Diocletiano despectuosissimè tractatur.

297. Galerius Maximianus Armentarius, infamiam anno priore ex infeliciter cum Persis commisso prælio contractam delere volens, per Illyricum ac Mœsiam Pannoniasque contractis copijs, Narsen Regem Persarum Mesopotamiam devastantem aggreditur, eumque gloriosè devincit, captis ejusdem Uxore & prolibus, idèoque redux ad Diocletianum maximo cum honore ab eodem suscipitur. S. Cajus Pontifex, & S. Gabinius ejusdem Frater, Diocletiani Imperatoris Cognati, jussu ejusdem Martyrio coronantur.

298. 299. 300. Pacatis jam Provincijs, rursus Imperatores Diocletianus & Maximianus in Christianos inauditam exercent crudelitatem. Interim tamen Marcomannos & cæteras vicinas eisdem gentes, quæ absente Romanâ Militiâ, illico tumultuari solebant, transferunt in interiores Romani Imperij ditjones.

301. Diocletianus & Maximianus ingenti pompâ de Persis Romæ triumphum celebrant.

302. Populo Romano in Circensibus ludis contra Christianos conclamante Maximianus Imperator, qui in circo maximo ludos spectabat, contra eosdem generalem decernit persecutionem. Quo eodem Anno Martyrio afficitur S. Quirinus Episcopus Siscie, juxta Sabariam Pannoniæ Civitatem Sancti Martini Patriam.

303. Decima Persecutio generalis à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus in Christianos edicitur, atque executioni simul datur. Hinc Pannonia quoque plures hoc anno edidit Martyres præcipuè tamen Syrmij, quos inter: Iræneus, ejusdem Urbis Episcopus, & Montanus illius Presbyter, S. Maxima, S. Demetrius Diaconus, S. Syrenus Monachus, SS. 22. Martyres, SS. 7. Virgines, SS. Innocentius & Sebastia, cum alijs 30. Socijs. S. Pollio Lector, Cibali (quæ nunc est Valpo) & S. Alexander Miles, Driziparæ, quæ hodie teste Sophiano *Missini* nuncupatur, Civitas in Thracia.

304. Diocletianus & Maximianus Hercules abdicant se Imperio, ille ex

Imperij tædio, hic nec displiceret Collegæ, ambo fortassis ex desperatione, eò quod viderent se omnibus viribus adhibitis, non posse id, quod intendebant assequi, ut scilicet opprimerent, & abolerent Christianam religionem: Succedunt mox ipsdem Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus Armentarius, atque huic in partem Imperij obveniunt inter alias Provincias etiam Illyricum & Pannoniæ. Uterque autem Imperator assumunt sibi Collegas eosque Cæsares creant, ille quidem Valerium Severum, hic verò Galerium Maximinum. Porro deposito Imperio priores duo Imperatores, Maximianus Hercules secedit in Lucaniam, Diocletianus verò Salonas in Dalmatiam privatam acturi vitam. Evilasus Præpositus Quæstionibus de Christianis habendis per Pannoniam postquam plurimos morte ob fidem Christi affecisset, ex admiranda Faustæ Virginis constantia in Martyrio, fidem Christianam ipse quoque amplectitur, & mox iussu *Maximiani* Martyrio afficitur.

305. Non obstante Diocletiani & Maximiani Herculei resignatione Imperij, continuatur tamen adhuc vi illorum Decreti in Christianos persecutio.

306. Constantinus Chlorus Cæsar obit Eboraci in Britannia, succedente eidem Filio Constantino, qui dein Magni Cognomen adeptus est. Verùm cum ejus Imago Romam delata esset, Maxentius Suppositivus Filius Maximiani Herculei à Prætorianis Militibus acclamatur Imperator.

307. Galerius Maximianus Armentarius, audiens Maxentium Suppositivum Filium Maximiani Herculei sibi usurpasse Imperium, mittit contra eum Severum Cæsarem cum exercitu, verùm hic à Maxentij Militibus vincitur, & à suis desertus Ravennam fugere cogitur, ac in fuga occiditur. Advolat proinde ipse Galerius cum exercitu Romam, sed cum videret Milites omnes in Maxentium bene animatos, neque minis efficere posset, ut is arma deponeret, in Illyricum recedit, & Valerio Licinio Pannonias tuendas committit, eumque Cæsarem, in locum Severi occisi creat.

308. Eundem Licinium Galerianus Maximianus Armentarius, humili loco in Dacia natus creat Augustum Carnuti in Pannonia, ut haberet quem hostibus opponeret.

309. Galerius Maximinus Imperator & Maxentius Imperij Usurpator pergunt sævire in Christianos.

310. Maximianus Hercules insidias frueri volens Constantino Imperatori suo genero, ab eodem prævenitur, & fugere compulsus Messaliam, ibidem strangulatur.

311. Galerius Maximianus Armentarius Imperator pestilentem efflat animam, ex corpore vermibus ad horrorem scatente.

312. Constantinus Imperator bello aggreditur Maxentium & crucis signo

igno super solem cum illis verbis : *In hoc signo vinces*, viso bene animatus, Maxentium vincit, qui fugâ salutem quærens in Tiberim prolabitur, miserèque mergitur.

313. 314. Extinctis Tyrannis, sub Constantino Imperatore, cessat persecutio in Christianos, ac demum incipit reflorescere Christiana Religio.

315. Licinus Imperator hostem Constantini Imperatoris se esse declarat: Hinc atrox prælium ad Cibalem (nunc Valpo) Civitatem Pannoniæ inter eos committitur, in quo victus Licinus, amissâ magnâ parte exercitûs, qui proinde cum Uxore & Filio ac thesauris Sirmio elatis, fugit in Thraciam, ibique Valentem Cæsarem creat. At Constantinus Cæsar Cibali & Sirmio aliisque Oppidis Licinum fugientem in Thracia assequitur, & fere ad internecionem reliquias copiarum ejusdem delet, nihilominus ad pacem ineundam, eundem admittit, hac conditione, ut Thracia, Asia, totûsque Oriens eidem relinqueretur, Pannonia verò & reliquum Imperij Constantino cederet, atque ut priùs *Valens* ab ipso denominatus Cæsar cæderetur.

316. Moritur miserè Diocletianus Imperator Salone in Dalmatia. Hoc eodem anno nascitur S. Martinus Sabariæ in Pannonia.

317. Constantinus Imperator filios suos Crispum & Constantium Cæsares creat.

318. 319. Licinus Imperator in Oriente in odium Constantini Imperatoris Christianos vexat.

320. Crispus Cæsar Constantini Magni Filius feliciter contra Germanos depugnat.

321. Quinquennialia Crispi magnificè curat celebrari Constantinus Prens.

322. Constantinus Imperator occasione horum Quinquennialium, plurimis subditis gratiam præstat, multisque multa indulget.

323. Constantinus Magnus Imperator dum Sirmij in Pannonia moratur, Ethnicorum contra Christianos insectationem, sanctionibus suis coercet.

324. Licinus Imperator toties victus, totiesque à Constantino in gratiam receptus, rursus novo bello læcessit Constantinum, sed ab eo iterum, & ultimâ ad Bizantium vincitur, & ademptâ dignitate Imperiali, privatam vitam ducturus Thessalonicam ablegatur.

325. Licinus agens Thessalonicæ, novas res moliri deprehensus, jussu Constantini strangulatur, Martinianusque ab eo dictus Cæsar in Cappadocia cæditur. Concilio Oecumenico Nicæno finis imponitur, cui interfuisse scribuntur etiam Episcopi Pannoniarum, Domnus Stridonensis ex Provincia Pannoniæ, & Domnus Laureacensis Austriæ Superioris, quæ tunc Pannonia Superior dicebatur.

326. Stupente orbe Romano, Crispus Cæsar jussu Parentis Constantini vel Romæ, vel Polæ in Istria occiditur, uti & Licinius Junior Licinij Imperatoris filius, Constantino aliàs charissimus. Necis hujus causam nemo scit, nec eam divinare convenit: Illius autem causa fuit calumniosa accusatio Novercæ ejusdem, Faustæ, quæ & ipsa postmodum, ob falsam calumniam Crispo impositam, in balneo interfici ejusdem Imperatoris decreto, jussa est. Constantinus Magnus Hierosolymas instaurare decernit, ubi & celeberrimam Basilicam *μαρτίου* dictam statuit, Mater autem ejus S. Helena duas, in Monte Oliveti unam, alteram in Oppido Betlehem. His verò post multa Sæcula S. Stephanus Rex Hungariæ Hierosolymis insigne Cœnobium Monachorum addidit, prædijque ac Vineis ditavit. Sanctus Martinus annos natus decem, in vitis Parentibus, utpote Gentilibus Sabariæ in Pannonia ad Ecclesiam confugit, & Catechumenis adscribi petit.

327. Obiit pientissimè S. Helena Mater Constantini Magni, quæ sanctissimam Crucem Hierosolymis repererat in fossam humi à Gentilibus in odium Christianorum, cujus dein particulæ dispersæ sunt per varias orbis partes, ac ipsam quoque Pannoniam, novissimè verò una illarum obvenit Congregationi S. Crucis Tyrnaviensi in Collegio Societatis JESU, ex liberalitate Eminentissimi Cardinalis à Kollonics, cum authentico testimonio, quòd sit deprompta, ex illa parte verissimæ Sanctæ Crucis, quæ conservatur in thesauro Augustissimæ Domûs Austriacæ, Viennæ.

328. Constantinus Magnus Imperator ex veteri Urbe Bizantij, novam Urbem condit, quam ex suo Nomine Constantinopolim, ac novam Romam appellat, ubi dein S. Stephanus Hungariæ Rex quoque eximij operis Templum extruxit, ac sacro apparatu abundè instruxit. Hoc eodem anno nascitur Attila Pannoniæ Rex futurus.

329. Occasione Josephi Comitis ex Judaismo in ferventissimum Christianum conversi, Constantinus Magnus Legem contra Judæos Christianis infestos, quam olim in Pannonia Murgilli condiderat, rursus contra eosdem Constantinopoli renovat. Unde infert Inchofer, tempore Constantin Magni, sicut in alijs locis pluribus, ita & in Pannonia fuisse non paucos ex Gentilibus ad Christum conversos.

330. Constantinus Magnus Urbem Constantinopolitanam Beatissimæ Virgini dedicat, quem postmodum imitatus S. Stephanus Hungariæ Rex, totum Regnum Pannoniæ eidem Sanctissimæ Virgini obtulit ac dicavit; atque hujus vestigijs insistens modernus Augustissimus Imperator & Hungariæ Rex LEOPOLDUS I. post recuperatas à Turcis Hungariæ partes, idem votum renovavit, ac magna cum pietate confirmavit.

331. Constantinus Magnus totius Orbis Romani spolijs Urbem Constantinopolitanam locupletat, ædificijsque ornat, atque sic instruit, ut eam de suo Nomine dici non doleret.

332. S. Martinus Pannonius annos natus circiter septendecim jussu & statuto Imperatorum Romanorum in Militiam adscribitur.

333. Constans Constantini Filius Cæsar creatur.

334. Sarmatarum Servi contra Dominos suos Rebelles, pulsî, ad Constantinum Imperatorem confugiunt, ab eodémque recipiuntur, ac supra 300. Millia eorum, per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, & Italiam distribuantur.

335. Constantinus Imperium inter tres Filios Constantinum, Constantium, & Constantem dividit, qua in divisione Pannonia cum Illyrico Constanti Filio obvenit.

336. Constantinus Magnus Constantinopoli Legatos ex Indijs Orientalibus cum rarissimis, & pretiosissimis muneribus, quibus *Constantinum* Imperatorem suum, Orbisque Principem fatebantur excipit.

337. Constantinus Magnus in Villa proxima Nicodemix Adyrona dicta, moritur, cum annis 32. circiter imperasset, Princeps non solum de toto Imperio Romano, adeoque & Pannonia, sed & de Religione Christiana meritiſſimus. Succedunt eidem Filij Constantinus, Constantius, & Constans, & Imperium inter se dividunt, juxta Parentis prius jam factam dispositionem.

338. Post mortem Constantini Magni imminente bello Persis, Constantius ejusdem Filius (cui Oriens in divisione Imperij obvenerat) in eodem expeditionem parans insanabili ulcere percussus à DEO, ut ad sanam rediret mentem (jam enim ab Arianis depravatus fuerat) à S. Spiridione Cypri Episcopo, solo tactu illius miraculosè sanatur.

339. Tres Fratres Cæsares, Constantini Magni Filij divisione Imperij à Parente facta non contenti, ad mutua bella se præparant.

340. Constantinus igitur Junior, Constantis Fratris ditiones invadit, verùm in commisso cum eodem prælio, equo dejectus, ab hujus Militibus ignotus interimitur.

341. Franci interim invadunt Gallias, sed hos faciliè reprimunt Constans, cum interea Frater illius Constantinus hoc, & priore anno novem prælijs, parum prosperè pugnat cum Persis. S. Hieronymus nascitur Patre Eusebio oppido Stridone in confinibus Pannonix & Dalmatix, vel rectius Sclavonix, quam nunc vulgariter Croatiam vocant.

342. Constans Imperator Francos ad pacem petendam adigit, sic enim illos

illos repressit, ut Romanorum Socij atque foederati fieri pro gratia reputave-
rint. Photinus Ancyrianus Patriâ, Episcopus Sirmiensis hæresim suam pro-
mit, de Christo solùm homine.

343. Moritur S. Paulus Primus Eremita, sub ejus Nomine postmo-
dum institutus Ordo Sancti Pauli Primi Eremitæ in Pannonia, ubi nunc quo-
que floret.

344. Persecutio in Christianos in Persia hoc anno quoque durat.

345. Igitur contra Persas Constantius rursus expeditionem suscipit, sed
rursum parum felicem, licet enim illi essent infecti sanguine Christianorum, hic
tamen è contra fuit infectus Hæresi Arianorum. Gallus, & Julianus Filij Con-
stantis Fratris Constantini Magni tonsa crine Clerici fiunt, voluntate Cæsa-
rum, ut sic natalium suorum obliviscerentur, pacatióresque viverent.

346. Ariani abusi favore Constantij Imperatoris Orientis, mirè pertur-
bant Ecclesiam, ideóque à Julio Pontifice, annuente etiam Constante Impera-
tore Occidentis indicitur Concilium Sardicense, ad quod invitantur Panno-
niæ quóque Episcopi.

347. Celebratur Concilium Sardicense interventu 376. Episcopo-
rum, quos inter fuère etiam Episcopi Pannoniarum, Norici, Moesiæ, & Daciæ,
ac in his Valens & Ursacius, qui in Moesia & Pannonia ipsa sedes habebant, ac
utérque Arianæ Hæresi favebat.

348. Constantius maximum, sed infelicissimum committit cum Persis
prælium.

349. Constans & Constantius dissident inter se quo ad negotium
Religionis, & ille quidem tuetur Catholicos, hic verò Arianis favet.

350. Constans Imperator ad Oppidum Helena vulgò Elne (quæ nunc
Eszecum nuncupatur) à Maxentio Exercitûs sui Duce, è medio vivorum
tollitur, atque hic mox Imperium sibi usurpat. Auditâ autem Constantis ne-
ce, ac rebellionè Maxentij, Vetrano pariter Pannonici Exercitûs Dux se
Augustum dicit. Igitur Constantius Imperator contra utrúmq; exerci-
tum ducit, & Vetrarionem quidem ad suas partes attrahit, ne sibi cum
duobus res esset, sed postquam ejusdem Milites abduxisset, eundem octa-
vo Mense dignitate privat & in ordinem redigit, de honesta tamen &
pro statûs illius dignitate intertentione eidem providet. Ursacius, & Va-
lens Episcopi Pannoniæ, dum antea Arianis favissent, respicientes Romam pro-
ficiscuntur, & à Julio Pontifice benignè suscipiuntur.

351. Constantius Imperator Petrualem suum Gallum creat Cæsarem.
S. Martinus Pannonius baptizatur, cum annum trigesimum quintum ageret.
Sirmij in Pannonia contra Photium ejusdem Urbis Episcopum Concilium ce-
lebratur.

352. Totum nunc fere annum Constantius Imperator in parando exercitu contra Magnentium Tyrannum insumit.

353. Constantius Imperator insignem in Pannonia apud Murfam (Eczek) de Magnentio reportat victoriã, & hic rebus desperatis, profugus in Gallias apud Lugdunum se interficit.

354. Constantius Imperator Flavium Gallum Cæsarem à se creatum, ex Oriente ad se Arelatem callidè evocat, eundemque in itinere aut Pola in Istria, aut in Flanone, Insula Illyrici priùs exauthorari, deinde etiam neci dari mandat.

355. Constantius Imperator in locum Flaviani Galli interempti, Julianum Fratrem ejusdem, malo omine Cæsarem creat.

356. Constantius Romæ ob victum Magnentium triumphat, & Julianum jam Cæsarem cum Exercitu in Gallias mittit. S. Martinus à Juliano missionem è Militia postulat, eandemque etiam impetrat.

357. Julianus Cæsar de Alemannis Gallias infestatibus victoriam reportat, Constantio Imperatore tunc morante Sirmij in Pannonia.

358. Francos ex Gallijs rejicit Julianus; aliunde autem Sarmatas & Quados depopulantes devincit Constantius, undè & Sarmaticus dici meruit.

359. Julianus Germanos ad pacem per tendam adigit: Constantius autem Sarmatas acriùs premit. Ursinus & Valens Episcopi Pannoniæ & Ariani, Sectam suam per illum promovent; non obstante ficta revocatione errorum suorum, Romæ.

360. Julianus Lutetiæ Parisiorum Augustus acclamatur Constantino Imperatore indignante, ac cum Sapore, Rege Persarum infeliciter pugnante.

361. Julianus Augustus in Constantium rebellat, & sinui à fide Christiana apostatat, & mox contra Constantium Imperatorém exercitum movet. Quibus auditis Constantius Pacem cum Persis componit, & Juliano obviam cum suis copijs procedit, verùm in itinere moritur, postquam annis 24. & amplius imperâisset. Hinc Julianus jam securus Thraciam advolat, & Constantinopolim ingreditur, Imperijque sui facit initium,

362. Julianus Apostata contra Persas bellum movet, & interim palam Christianos persequitur, qua occasione emicuit multorum in fide Christiana constantia, sed præsertim fortissimorum Militiæ Ducum: Joviani, Valentiniani & Valentis, qui omnes dein successivè clavum Imperij, DEO sic providente tenuerunt.

363. In Persico bello miserè perit Julianus Apostata, inter blasphemias in Christum voces. In ejus locum à Militibus acclamatur in Imperatorem Jovinianus Sigundini in Pannonia natus.

364. Gravi omnium bonorum luctu, Jovinianus Imperator moritur, cui succedit omnium Mîritum voto Valentinianus, & ipse Pannon Cibali in Pannonia

ortus, non nobilitate generis, sed propriâ virtute clarissimus, qui mox in Collegam Imperij assumit Valentem Fratrem, eique Orientem gubernandum relinquit, dum ipse Occidentem regeret.

365. 366. Procopius Juliani Apostatae Propinquus absentibus ambobus Imperatoribus, Imperium Constantinopoli arripere attentat, sed à suis ob Imperium malè administratum comprehensus, & vinculus, ad Valentem adductus capite minuitur. Valentinianus Junior Valentiniani Imperatoris Filius nascitur.

367. 368. Valentinianus Imperator gravi morbo confectus Gratianum Filium Augustum, nominat, & cum eo in societatem quoque belli assumpto Alemannos ad Rhenum proffigat.

369. Valens Imperator interea sapius Gotthos aggressus, tandem bello longo attritos Gotthos ad pacem petendam adigit. Nascitur, S. Patritius Matre Concha è Pannonia, Sorore S. Martini Sabariæ Cive.

370. Valentinianus Saxones & Alemannos devincit, Valens verò in Oriente Episcopos Catholicos persequitur.

371. Valentinianus per suos Duces duo bella hoc anno feliciter conficit, unum contra Alemannos, alterum verò in Mauritania concitatum. Valens verò se in Arianismo promovendo perniciosè occupat.

372. Bellum contra Quados infelici successu Valentinianus suscipit, è contra Theodosius Junior Mœsiæ Dux Sarmatas in finibus Imperij fortiter reprimit. *Sequitur Synopsis Chronologica Rerum Hungaricarum ab egressu Hungarorum ex Scythia.*

A P P E N D I X.

Contineas Nomina vetustissima: Urbium, Fluviorum, Montium, aliorumque locorum Pannoniæ, & Hungariæ, quibus antiquissimis temporibus, à priscais Geographis, & Historiographis, præsertim Ptolomæo, Strabone, Plinio, Tacito, cæterisque; appellabantur, præpositis iisdem novis nominibus, quibus hodie appellantur. Ordine Alphabetico.

Abruckbánya. <i>Astariarum</i> , Oppidum Transylvaniæ.	Alba Græca. <i>Taurunum</i> , Urbis Servia.
Adom. <i>Potentiana</i> , <i>Salinum</i> , Castrum inferioris Hungariæ ad Danubium fluvium, quinque miliaribus infra Budam ad meridiem, Tolnam versus.	Albona. <i>Alvum</i> , Oppidum Istria.
Adelsperg. <i>Pistonis</i> , <i>Avendone</i> , <i>Adulis</i> , Oppidum Carniolæ.	Almussa <i>Alminum</i> , <i>Pegontinum</i> , Oppidum Dalmatiæ.
Alba Julia. <i>Apulum</i> , Urbis Transylvaniæ.	Altenburgum, Hungaris Ovar. <i>Flexum</i> , Oppidum Hungariæ, ad Danubij fluvij ramum minorem, ubi Leitham amnem recipit.
	Altenhofen. <i>Arrianum</i> , <i>Vetus curia</i> , Oppidum Austria.

Alten-

- Altenhofen aliud. *Carata*, Oppidum itidem Austriae.
- Alpataria. *Almus*, mons Hungariae prope Syrmium, qui primus in Pannonia vitibus fuit constitus.
- Amelsfeld. *Cosobius*, *Cassovius*, *Campus merula*. Planities Serviae juxta Danubium, Hungaris Rigó Mező.
- Ardacher. *Arcdate*, Vicus Austriae, ad Danubium fluvium.
- Argitch. *Argida*, Oppidulum Valachiae.
- Arta. *Arsatianum*, Oppidum Hungariae ad Dravum fluvium.
- Babba. *Tómis*, Civitas Bulgariae, ubi exulabat Ovidius.
- Babolicza. *Carethna*, *Vallis Cariniana*, Castrum Inferioris Pannoniae.
- Bafelcza. *Mansuetium*, *Pons Sociorum*, *Pons Mansuetudinis*, Castrum Hungariae, Posegam versus.
- Badena. *Aque Pannoniae*, Civitas Austriae.
- Bakony. *Baconia Sylva*, Sylva vasta Hungariae.
- Balaton. *Volcae lacus*, Lacus Hungariae inferioris extendens se ad 16. millia passuum in longum, & sex millia in latum.
- Banyaluka. *Blandona*, Urbs Bosniae.
- Banya vulgò, Nagy Banya, *Rivuli puellarum*, *Rivulinum*. *Rivuli Dominarum*, Civitas Hungariae superioris in confinio Transylvaniae.
- Barbowina. *Barbis*, Oppidum Hungariae, cujus rudera adhuc visuntur ad Dravum fluvium, tribus milliaribus à Quinque Ecclesijs ut opinatur Lazius, sed alijs est *Borzeche* Castrum ad eundem fluvium paulo supra ditum.
- Baranyvar. *Varonianum*, Oppidum Hungariae, Comitatus Baraniensis Caput, ad Crassum fluviolum, qui paulò infra cadit in Danubium.
- Bars. *Uscenum* Castrum Hungariae ad Granum fluvium, à quo denominatur Comitatus Barsensis.
- Basilista. *Rhodope*, mons Thraciae notissimus.
- Batha. *Antiana*, & *Antian*, Oppidum inferioris Hungariae ad Danubium, ubi Sárvizium fluvium recipit.
- Bathafzek. *Batanatis*, Tractus inferioris Hungariae.
- Bathmonstor. *Bathanatij*, quo nomine vocabatur vicus quoque, qui Batka Hungaris dicitur.
- Belas. *Sidrona* Oppidum Liburniae, seu in confinio Pannoniae late sumptae.
- Belusia. *Curta*, oppidum inferioris Pannoniae ad Danubium fluvium, inter Comaromium, & Strigonium, teste Lazio.
- Bisfricz. *Pistriensis villa*, pagus inferioris Pannoniae, patria Sozomeni Historici, ad Istrum fluvium, teste Lazio, paulo supra Petri-Varadinum.
- Boccariz. *Velura*, Oppidum Liburniae.
- Bogasar. *Sestos*, Oppidum Thraciae.
- Bon monster. *Bononia Pannoniae*, Urbs tempore Ptolomæi, nunc Pagus ad Danubium fluvium, inter Elzekum & Belgradum.
- Bodon. *Bononia Mæsie*, Oppidum superioris Mæsie, sed quæ nunc dicitur Bodon, Bydena videtur esse Græcis, olim *Viminaccum* dicta.
- Bojana, olim *Barbana* Fluvius Dalmatiae.

- Bontuda. *Bragetium*, Castrum Hungariae, cujus rudera aliqua adhuc prope Comaromium exstant.
- Bosvetha. *Bacuntius*, Plinio, fluvius inferioris Pannoniae in Sclavonia, prope Sirmium Urbem praeterfluens.
- Bauron, olim *Pissonia*, Civitas Thraciae.
- Brajlano, olim *Piroboredava*, Oppidum Moldaviae.
- Brassovia. *Corona*, *Pratoria Augusta*, *Stephanopolis*, *Patrovissa*, Urbs Transylvaniae, in confinio Valachiae.
- Brinhyda, *Cimbriana*, Oppidulum Bulgariae.
- Buda, olim *Sicambria*, alijs *Aquincum*, Urbs Hungariae.
- Budinum vel Bitinum olim *Oescum*, Oppidum Mœsiae.
- Bafas vel Buzas. *Napuca*, Castrum Transylvaniae.
- Calica. *Callatia*, Oppidum Bulgariae.
- Campon. *Campania*, Oppidum Styriae.
- Capenstian & Capenberg. *Capedunum*, cujus meminit Strabo, Oppidum Pannoniae, cujus adhuc exstant vestigia teste Lazio.
- Capfia. *Carpudænum*, Oppidum Thraciae.
- Caradrina. *Drilus* & *Drilo*, fluvius Serviae.
- Carasto. *Nesus*, fluvius Thraciae.
- Carniolia. *Japydia*, olim pars Pannoniae Saviae.
- Carpen. *Carpis*, vicus Hungariae ad Danubium.
- Chernik. *Inicerum*, & *Incerium*, Castrum Sclavoniae.
- Chognicz. *Aequum*, Oppidum Sclavoniae.
- Czitra. *Citrorum Insula*, Insula Danubij in Hungaria.
- Clausenburg. *Petriussa* & *Claudiopolis*, Urbs Transylvaniae.
- Clissa, Jopfica. *Lopisca*, *Clitia*, *Clusi Salo*, *Andetrium*, Castrum Dalmatiae.
- Clussi. *Aequum*, Oppidum Sclavoniae.
- Comora. Crumerum Civitas Hungariae.
- Corck. *Gorsio*, vicus Hungariae inferioris.
- Chelo. *Diorna*. Oppidum Transylvaniae.
- Chege. *Zabolez*, Oppidum Hungariae superioris.
- Chafina. *Dantena*, Oppidum Hungariae superioris.
- Chalifera. *Diomysopolis*, Oppidum Sclavoniae.
- Cshemet. *Partiscum*, Oppidum Jazigum Metanistarum, Pro'omao, quod Lazius interpretatur Parozlo oppidulum Hungariae superioris, Agriae finium, ab ea in ortum vadens, sed ego potius interpretor Kecskemét oppidum vastum ejusdem Hungariae, id enim & loci situs, & nomini affinitas suadere videtur.
- Cudelas. *Cusi*, Pagus Hungariae.
- Cumoniza. *Haemus*, Mons Thraciae.
- Curiorowicze. *Rhodope*, Mons Thraciae.
- Curzola. *Corcyra nigra* & *Corcyra Melana*, Insula Dalmatiae.
- Czuslmaur. *Cetium*, vicus Austriae inferioris.
- Czernicz. *Saloniana*, Oppidum Dalmatiae.
- Czcovik. *Cirtta*, Castrum Sclavoniae.
- Czirknicz. *Circonnensis* lacus, & *Lucepalus*, Lacus Carnioliae.
- Dagno. *Thermidara*, Urbs Dalmatiae.

- Damna. *Dalmana*, Oppidum Sclavoniæ.
 Demnio. *Delminum*, Oppidum Dalmatiæ.
 Delez. *Tullum*, Mons Sclavoniæ.
 Deës. *Comidava*, Castrum Transylvaniæ.
 Denigu. *Dinogatia*, Oppidum Bulgariæ.
 Dercon. *Deleos*, *Delta*, Urbs Thraciæ.
 Develto. *Develtus*, *Dibaldum*, Urbs Thraciæ.
 Diod. *Tiasum*, Oppidum Valachiæ.
 Dialat. Teuteburgum, Pagus Hungariæ.
 Draunsée. *Felicis lacus*, Lacus Austriæ superioris.
 Drinago. *Dinogetia*, Oppidum Bulgariæ.
 Drivenicz. *Proteras*, Insula Dalmatiæ.
 Drivesto. *Enderna*, Oppidum Dalmatiæ.
 Drabomnicz. *Ragusium*, Urbs Dalmatiæ.
 Dulcigno. *Olchinium*, *Ulcinum*, Urbs Dalmatiæ.
 Elchnek. *Cæsaria*, sive *Cæsariena*, Oppidum Pannoniæ.
 Eszek. *Mursa*, Fortalitium Hungariæ, noviter fortificatum.
 Fertõ. *Peyso*, Lacus Hungariæ.
 Friburg. *Cardaliana*, Oppidum in Confinio Hungariæ & Styriæ.
 Fuzel sive Tõplicza *Aquaviva* sive *Aquavia*, Oppidum Hungariæ in Confinibus Styriæ, teste Lazio.
 Gabowina. *Barbis*, Oppidum Pannoniæ, cujus rudera visuntur, ad Dravum fluvium, tribus milliaribus Germanicis à *Quinque Ecclesijs*, sed a ijs est *Berzoncze* castrum, ad eundem fluvium paulò supra. Vide *Barborina*.
 Galumbacz. *Tricornium*, *Zuzidva*, Civitas Serviciæ.
 Ghigen. *Escamius*, Fluvius Bulgariæ.
 Gyula. *Julia*, Civitas Transylvaniæ.
 Gradisch. *Ulpia Trajana*, *Zarmigethusa*, Pagus Transylvaniæ.
 Grana. *Cromone*, Vicus Dalmatiæ.
 Gracium. *Savavia Grajacum*, Urbs Styriæ.
 Grossechana. *Tiviscum* sive *Tiros*, Oppidum Valachiæ, quod hodie creditur *Tergovista* & *Tarvis*, caput Moldaviæ.
 Grosseu. *Istropolis*, Urbs Bulgariæ.
 Guizzing. *Ringw*, Oppidum Hungariæ, sed fortè rectiùs *Gûlzek* Civitas.
 Heraclea. *Perinthus*, Urbs Thraciæ maritima.
 Huan. *Pharos*, Insula Dalmatiæ.
 Hamburg. *Comajenum*, Civitas Austriæ.
 Ibar. *Mofchius*, fluvius Bulgariæ.
 Ichtiman. *Stenimachum*, Castrum Thraciæ.
 Jenõ. *Jenum*, Castrum Hungariæ.
 Ilmiczve Ilv. *Ulmi*, vicus Austriæ in confinio Hungariæ.
 Imertipitia. *Celaussæ*, Insula Dalmatiæ.
 Ischo. *Escaurus*, fluvius Bulgariæ.
 Insula Zara. *Lissa*, Insula Dalmatiæ.
 Insula Mediæ. *Elaphites*, Tres insulæ Dalmatiæ.
 Istrig. *Sargetia*, fluvius Transylvaniæ.
 Ivonigrad. *Affisa*, Castrum Bosniæ.
 Jurgano. *Frateria*, Oppidum Valachiæ.
 Karon. *Carnocum*, Castrum Hungariæ in Comitatu Valkoniensi.
 Kementalo sive Salakemin. *Mariana*, Oppidum Hungariæ ad Dravum.
 Keres Banya. *Aurariarum*, Oppidum Transylvaniæ.
 Keres. *Chrysiu*, fluvius Hungariæ.
 Kerka. *Tinia*, Urbs Bosniæ.

- Kerlburg. *Gerulato*, Oppidulum Hungariae.
- Kermen. *Germia*, Urbs Thraciae.
- Körmedt. *Cormendinum*, Oppidum Hungariae.
- Kelmark. *Cesareopolis*, Civitas Hungariae.
- Kornburg. *Carrodunum*, Oppidum Styriae.
- Killia. *Callatra & Achillea*, Insulae Bulgariae.
- Kiris. *Drinus*, amnis Dalmatiae.
- Kisdawnocz. *Claudius mons*, Mons Hungariae.
- Klifs. *Andetrium & Chlissum*, Oppidum Dalmatiae.
- Klosteaneiburg. *Claudivium*, Civitas Austriae.
- Koppan. *Camponia*, Castrum Hungariae.
- Kreinpak. *Carpates*, Mons inter Hungariam & Poloniam.
- Kruppa. *Carpis*, fluvius Bulgariae.
- Kuffy. *Augustia*, Oppidum Valachiae.
- Lubatlan. *Commercium*, olim oppidum nunc vicus Hungariae, uno milliari distans à Strigonio, ut scribit Lazius, ex veteri inscriptione ibi reperta.
- Labacum. *Nauportus*, Urbs Carnioliae.
- Lausperg. *Segestra*, Oppidum Regni Hungariae in Slavonia, quod ab incolis dicitur Szegesdt in Comitatu Zagrabienfi, prope Silciam, & confluentem Colapis in Savum.
- Lauffen. *Laviacum*, oppidulum Austriae superioris.
- Leua. *Leventium*, Oppidum Hungariae, ubi Turcae grandi clade fuere affecti à Sôaches Generali 1664. Qua in pugna perijt Stephanus Kohari Heros insignis.
- Leutschovia. *Leuconium*, Urbs Hungariae in Comitatu Scepusiensi.
- Lemana. *Odessus*, Urbs Bulgariae.
- Limpach. *Tutatia*, Arx Austriae superioris, juxta amnem Krebs teste Cluverio.
- Lefina. *Pharos*, Insula Illyrici, in mari Adriatico, quae & Pharia Ptolomaeo, ante dicta Paros teste Plinio, & vulgò à Slavis Hvar nunc appellatur.
- Leybnicz. *Savavia*, Oppidum Styriae.
- Licoftemo. *Harpys*, Oppidum Bulgariae.
- Linczium. *Aurelianum, Lentio & Lentium*, Urbs Austriae.
- Lupadi. *Apollonia, Lopadium*, Urbs Moesiae.
- Lympach. *Olimacum*, Oppidum Hungariae, indigenis, Also Lindva in confinio Styriae.
- Magarisa. *Melas*, fluvius & sinus Thraciae.
- Magoniche. *Ardotium*, Oppidum Liburniae.
- Malaca. *Pangaeus*, Mons Thraciae.
- Malida. *Sestus*, Oppidum excisum Thraciae.
- Manspurg. *Mennaniana*, Castrum Pannoniae Saviae, ex conjectura Wolffgangi Lazij, alijs enim est Monoczlo Castrum, inter Savum & Dravum fluvios.
- Maros. *Marisius*, fluvius Hungariae in confinio Transylvaniae.
- Marogna. *Maronea, Ismaros*, Civitas Thraciae.
- Maurkirchen. *Admauros*, vicus Austriae.
- Medling. *Meclaria, Medaria, Metallum*, Oppidum Germaniae in Austria.
- Medon. *Doclea* Oppidum Dalmatiae.

- Moravi. Marcomani populi Germaniæ.
 Mestri. *Mestriana*, Oppidum Pannoniæ
 Inferioris.
 Misini. *Druspara*, Urbs Thraciæ.
 Modrusa. *Tradiasdum*, Urbs Liburniæ.
 Mochatium. *Amantia*, *Anamiscia*, *Mocha-*
czina, Oppidum Hungariæ ad quod
 Ludovicus II. Rex Hungariæ à Turcis,
 cum exercitu cæsus est.
 Moncastron. *Tyras*, Urbs Bessarabiæ.
 Mons niger. *Ibalia*, Mons Dalmatiæ.
 Morava. *Moravus major*, fluvius Bul-
 gariæ.
 Morava. *Moravus minor*, fluvius Serviæ.
 Morlaca. *Albus*, Mons Croatiæ, in ora
 maris Adriatici.
 Moray. *Claudius mons*, mons inferioris
 Hungariæ.
 Mulbach. *Militare*, fluvius Transilvaniæ.
 Mulbach. *Zeugma*, Oppidum Transyl-
 vaniæ.
 Muzon. *Monsenum*, Castrum Hungariæ
 dirutum, olim Mosonienfis Comitatus
 caput.
 Neocastro. *Hermum*, Promontorium
 Thraciæ.
 Nestoralba. *Hermonassa*, Oppidum Bes-
 sarabiæ.
 Nissa. *Nessus*, fluvius Thraciæ.
 Neomarek. *Novidunum*, Oppidum Car-
 nioliæ.
 Neomarek alterum. *Nova Marchia*, Urbs
 Transylvaniæ.
 Nona. *Enona*, Civitas Dalmatiæ.
 Obrach. *Obbracum*, Oppidum Serviæ.
 Ofsa. *Osimusa*, *Tyras*, Civitas Moldaviæ.
 Ombla. *Arione*, fluvius Dalmatiæ.
 Panda. *Callustia*, Oppidum Bulgariæ.
 Pantiva. *Heraclea*, *Perinthus*, Urbs Thra-
 ciæ.
 Paraczlo. *Parfiscum*, Oppidum superio-
 ris Hungariæ ut vult Lazius
 Paxs. *Luffonium*, Urbs Pannoniæ inferio-
 ris Ptolomæo, postea intercisâ in Pan-
 nonia Valeria Ripensi, nunc Castrum,
 ad Danubium fluvium, in Comitatu
 Tolnensi.
 Pefcha. *Argiruntum*, Oppidum Croatiæ.
 Pockaricz. *Peccatinum*, oppidum Hun-
 gariæ inferioris.
 Peliesacz. *Plerai*, Populi Dalmatiæ.
 Pelysz vel Pilis, *Pelysa*, Oppidum Hun-
 gariæ inferioris Pilisientis Comitatus
 caput.
 Pontole. *Ripa alta*, *Simplero est Tolna op-*
pidum Hungariæ.
 Pereichszafz vel rectius Berechszafz. *Pere-*
gia, oppidum superioris Hungariæ.
 Perfemburg, Hungaris Bars. *Uscenum*, *U-*
ssium, Urbs erat Jazigum Metanistaru-
 rum, juxta Ptolomæum, nunc est vicus,
 ad Granum fluvium.
 Pefcha. *Argiruntum*, Oppidum Libur-
 niæ, in ora maris Adriatici.
 Peseher & Pétzer. *Pessium*, Oppidulum
 Hungariæ transdanubianæ in Comita-
 tu Czanadiensi.
 Pettav. *Petovio*, *Petavium* Civitas infe-
 rioris Styriæ.
 Phanarion. *Panium*, promontorium
 Thraciæ.
 Pilati. *Vardei*, populi Dalmatiæ.
 Piros. *Romaniana*, oppidulum Bulga-
 riæ.
 Polla. *Julia pietas*, Urbs Istriæ.
 Polina. *Hinlca palus*, palus Pannoniæ
 infe-

- inferioris prope *Walponem*, quam
 Probus Imperator sicari iussit.
 Polinaha. *Titius*, fluvius Sclavoniæ.
 Possëga. *Basiana*, Urbs Pannoniæ in Scla-
 vonia.
 Prasovo. *Hemus*, Mons Thraciæ.
 Prifna. *Justiniana secunda, Vulpianum,*
 & *Villa Vulpia*, Urbs Serviæ.
 Proclian. *Scardonicus lacus*, Lacus Dal-
 matia.
 Pruck. *Lejtapons, Lusipons, Motenum,*
 Civitas inferioris Austriæ.
 Pruth. *Hicrafus, Perota*, fluvius Valachia.
 Ragusa. *Epidaurus, Rhanzum, & Ra-*
gustum, Urbs Dalmatiæ.
 Rackespurg. *Boletum, Rachelburgum,*
Raclitanum, Arx & Civitas Styriæ.
 Rachzkavi. *Intercisa*, oppidum Panno-
 niæ Ripensis, nunc vicus in confinio
 Styriæ & Hungariæ.
 Radtschach. *Romula*, pagus Croatiæ.
 Raschia. *Dardania*, pars Serviæ
 Ratz. *Rhittium*, oppidum inferioris Hun-
 garia.
 Rectea. *Heræum*, Civitas Thraciæ.
 Repicza. *Rhamidava*, oppidum Vala-
 chie.
 Rifano. *Formio*, fluvius Istriæ.
 Rosay. *Ardius*, Mons Dalmatiæ.
 Rosena. *Thingola*, Palus Bulgaricæ.
 Rusio. *Rutium, Doberus, Topires*, Urbs
 Thraciæ.
 Sagova. *Thynias*, oppidum Thraciæ.
 Salankemen. *Acuminicum Rhittium*, op-
 pidum inferioris Hungariæ.
 Samagvan. *Ad fines, Fines*, Castrum
 Croatiæ.
 Samendria. *Spenderobis*, Urbs Serviæ.
 S. Andreas. *Legio XIV. Germanica*, Lo-
 cus & Insula prope Budam.
 Scalman. *Salva*, vicus inferioris Hungariæ
 prope Budam.
 Schiltberg. *Butenij Montes*, montes in-
 ferioris Hungariæ.
 Schilterperg. *Mons Clypeorum*, mons in-
 ferioris Hungariæ, Incolis *Vertes*.
 Segefvar. *Sezethusa Sciburgirm, Sanda-*
va, Singidava, Urbs Transylvaniæ.
 Segna. *Senia*, Urbs Dalmatiæ.
 Sciltaro. *Nicopolis* Urbs Bulgariæ.
 Scabring. *Sacarbantia Scarabantia*, Civi-
 tas Hungariæ inferioris, quæ nunc
 Czeprech ab incolis dicitur.
 Scardin. *Scardona*, Urbs Dalmatiæ fere
 diruta.
 Sellie. *Sala, Salijs*, oppidum Hungariæ.
 Scugad. *Senia*, Civitas Liburniæ.
 Severeno. *Acmona*, Castrum Hungariæ
 ad Istrum fluvium, prope rudera pontis
 Trajani, à Severo Imperatore condita,
 & Severinum dicta, ab alijs etiam Sara-
 vium.
 Sigetincz. *Singidunum*, Pagus Sclavoniæ.
 Silistria. *Tirissa*, Civitas Bulgariæ.
 Sissech. *Siscia*, Castrum Dalmatiæ.
 Swrichicar. *Oxybithum*, Castrum Bul-
 garia.
 Sladicza. *Osinus*, fluvius Bulgaricæ.
 Sminderom. *Singidunum*, Civitas Serviæ.
 Sofia. *Sophica Sardica*, Civitas Bulgariæ.
 Solui. *Jader*, fluvius Dalmatiæ.
 Solta. *Olyutha*, Insula Dalmatiæ.
 Soppan. *Sepiana*, Castrum Hungariæ ad
 Sarvizum.
 Spalatro. *Spalatum Palatium Diocletia-*
ni, Urbs Dalmatiæ.

- Steyr. *Claudiovicum*, Castrum Austriae.
 Stravica. *Istropolis*, Urbs Bulgariae.
 Strigonium. *Istroganum*, Urbs Hungariae.
 Strumicza. *Tiberopolis*, Urbs Thraciae.
 Studij. *Sicum*, Urbs Dalmatiae excisa.
 Svonigra. *Aranzona*, Oppidum Dalmatiae.
 Sufied. *Nedinum*, Oppidum Dalmatiae.
 Swerany. *Severinum*, Castrum Hungariae.
 Swinar. *Sarbinum*, Oppidum Bosniae.
 Szeget. *Secundinum*, *Singidava*, Civitas Hungariae.
 Szigeth. *Salina*, pagus Transylvaniae.
 Targorod. *Zividavia*, Civitas Valachiae.
 Taris. *Tiriscum*, Civitas Moldaviae.
 Tedia. *Terta*, Oppidum Thraciae.
 Telez. *Tullum*, Mons Sclavoniae.
 Terapia. *Pharmacia Sinus*, Locus Thraciae.
 Tewriana. *Tauasis*, Oppidum Serviae.
 Terzacz. *Tersatica*, Castrum Croatiae.
 Theten. *Campania*, *Matrica*, *Campona*, Oppidum inferioris Hungariae.
 Thurn. *Turres*, Oppidum Croatiae.
 Tine. *Tinia*, Oppidum Bosniae.
 Titul. *Tibiscum*, Castrum Hungariae.
 Tnina. *Tariona*, Oppidum Bosniae.
 Tolna. *Altinum*, Civitas Hungariae.
 Torda. *Dierna*, Civitas Transylvaniae.
 Totam. *Legio decima Germanica*, Oppidum Hungariae.
 Trachina. *Trisamis*, Oppidum Bulgariae.
 Trapu. *Trogurium*, Civitas Dalmatiae.
 Thauu. *Durus*, fluvius Austriae.
 Temeswar. *Tomera*, *Tomi* in Bulgariae.
 Temesvar. *Temesvaria*, Urbs Hungariae.
 Thata. *Cesarea Thodata*, *Data*, *Dotis*, Oppidum Hungariae.
- Trebigna. *Tribulum* & *Tribunium*, Civitas Dalmatiae.
 Troja. *Metullum*, Castrum Styriae, in Comitatu Cilleinsi.
 Trucula. *Ticaria*, *Truconis*, Insula Dalmatiae.
 Tuina. *Tariona*, Oppidum Bosniae.
 Tuln. *Castra Catulina*, oppidum Austriae.
 Tulza. *Sitioenta*, Oppidum Bulgariae.
 Tyhan. *Tybonia*, Insula inferioris Hungariae.
 Tzupriet Cupri. *Cuperium*, Locus Thraciae.
 Valachia. *Dacia Alpestris*, regio Europae.
 Valbach. *Valena*, vicus inferioris Hungariae.
 Valkovar. *Valcum*, Oppidum Hungariae inferioris.
 Valiza. *Rhodope*, Mons Thraciae.
 Valpo. *Cibalis* & *Valcum*, Civitas Hungariae in Sclavonia.
 Valcevo. *Collontum*, Castrum Dalmatiae.
 Varheli. *Vulpia Trajana*, Pagus Transylvaniae.
 Varne. *Zyras*, fluvius Bulgariae.
 Vaccia. *Vaccia*, Civitas Hungariae.
 Verdifo. *Perenticum*, Oppidum Thraciae.
 VetusBuda. *Herculea*, Castrum Hungariae.
 Vrana. *Aurana*, *Blandona*, Oppidum Dalmatiae.
 Vscopia. *Scupi*, Urbs Serviae.
 Vdvarhely. *Vdava*, Locus in Transylvania.
 Vylack. *Jvollum*, Castrum inferioris Hungariae.
 Waram. *Variana*, pagus Hungariae in Sclavonia.

Wérthes. <i>Mons Clypeorum</i> , Mons Hungariae inferioris.	Zagrabia. <i>Soroga</i> , Vicus <i>Italicus</i> , Urbs Slavoniae.
Wenicza. <i>Vincena</i> , Oppidum Hungariae inferioris.	Zawiko. <i>Ansiana</i> , Oppidum inferioris Hungariae.
Werfl. <i>Cataractes Danubij</i> , Casus Danubij in Austria.	Zara. <i>Jadera</i> , Urbs Dalmatiae.
Welka. <i>Fulfinum</i> , Oppidum Vegiae Insulae Dalmatiae.	Zara Vechia. <i>Alba maritima</i> , <i>Blaudosa</i> , Oppidum Dalmatiae.
Vienna. <i>Ala Flavianiana</i> , <i>Vindibonda</i> , Urbs Austriae.	Zarnownicza. <i>Epetium</i> , Vicus Dalmatiae.

A P P E N D I X I I.

Catalogus Imperatorum Romanorum, qui Pannoniae, & Romano Imperio, usque ad ingressum Hungarorum in eam, praesuerunt.

1. Augustus Imperator, primus fuit, qui Pannoniam Romano Imperio adiecit, & imperavit ad Annum Christi	20. Possenius Niger ad Annum	194.
2. Tiberius Nero ad Annum	21. Clodius Albinus ad Annum	197.
3. Cajus Caligula ad Annum	22. Septimus Severus ad Annum	211.
4. Tiberius Claudius ad Annum	23. Antonius Caracalla ad Annum	217.
5. Nero Claudius ad Annum	24. Macrinus cum Diadumeno Filio ad Annum	218.
6. Sulpitius Galba	25. Heliogabalus ad Annum	222.
7. Ottho Sylvius	26. Alexander Seuerus ad annum	235.
8. Aulus Vitellius	27. Julius Maximinus cum Filio ad Annum	238.
<i>Hi tres eodem anno interempti.</i>	28. Gordianus Senior & Junior, ad Annum prius electi	237.
9. Flavius Vespasianus ad Annum	29. Pupienus & Clodius Balbinus, ad Annum	238.
10. Titus Vespasianus Filius, ad annu	30. Gordianus puer ad Annum	244.
11. Domitianus, ad Annum	31. Philippus Senior & Junior ad Annum	249.
12. Nerva, ad Annum	32. Decius cum Filio ad Annum	251.
13. Ulpius Trajanus ad Annum	33. Vibius Gallus ad Annum	254.
14. Hadrianus ad Annum	34. Vibius Volusius ad eundem annu	254.
15. Antoninus Pius ad Annum	35. Licinius Valerianus ad Annum	260.
16. Marcus Aurelius Verus, cum Lucio Aelio Vero Fratre, ad Annum	36. Licinius Gallienus ad Annum	268.
17. Aelius Commodus, ad Annum	37. Fluvius Claudius ad Annum	270.
18. Aelius Pertinax, ad Annum	38. M. Aurelius Quintilius ad eundem Annum	270.
19. Didius Julianus, ad Annum		270.
<i>Omnes tres hi eodem anno sublati.</i>		

39. Valerius Aurelianus ad Annum	275.	51. Aurelius Licinius ad Annum	325.
40. Claudius Tacitus ad Annum	276.	52. Constantinus Magnus ad Annum	337.
41. Annius Florianus ad Annum eundem	276.	53. Constantinus Junior ad Annum	340.
42. Aurelius Probus ad Annum	282.	54. Constans Constantini Junioris Frater ad Annum	350.
43. Aurelius Carus ad Annum	283.	55. Constantius Frater Constantis ad Annum	361.
44. Numerianus ad Annum	284.	56. Julianus Apostata ad Annum	363.
45. Carinus cum Caro ad Annum	285.	57. Flavius Jovinianus ad Annum	364.
46. Diocletianus cum Maximiano Herculeo ad Annum	304.	58. Flavius Valentinianus ad Annum	375.
47. Constantius Chlorus ad Annum	306.	59. Valens ad Annum	378.
48. Galerius Maximianus Armentarius ad Annum	311.	Atque hoc Valente Imperatore imperante, Hungari primo seu egressu, occuparunt Pannoniam.	
49. Maxentius ad Annum	312.		
50. Galerius Maximianus ad Annum	313.		

Observatio.

Intra spacium 268. Annorum, quibus imperarunt 13. Austriaci Casares, fuerunt Gentiles Imperatores, inter Constantinum Magnum primum Christianum Imperatorem, & Tiberium Neronem Numero 48. Ita pietas est ad omnia utilis & vel maxime ad Imperij diuturnitatem.





II. SYNOPSIS

Seu

EPITOME CHRONOLOGICA.
Rerum Hungaricarum, ab Exitu Hungarorum ex Scythia, usque ad exordium Regiminis Sancti Stephani, Primi Christiani Regis Hungariæ, seu ab Anno Christi 373. usque ad Annum 1000.

Editio secunda, Correctior, & Auctior.

Opiniones, quæ de Origine Gentis Hungariæ, à varijs referuntur Authoribus, sicut diversæ, ita incertæ prorsus sunt, & dubiæ, imò non nullæ fabulosæ, omnino, & manifestè falsæ. Illorum tamen Sententia plùs habet speciminis & vero similitudinis (teste Melchiore Inchofer Societatis JESU, Annalium Ecclesiasticorum Regni Hungariæ Scriptore) qui Hungarorum genus deducunt, à *Magor* primogenito *Nemroth*, (cujus, & *Attila* se *Nepotem* scribebat) & ab eo dicunt denominatos esse priùs *Magoros*, sive *Magarios*, postea verò pronunciatione gentis interjecta litera *y* *Magiaros*, (quo nomine etiam nunc Hungari suâ linguâ se nominant) & pari ratione & *Hunnos* ab *Hunmor* fratre ejusdem *Magoris*, ac dein *Hungaros*, asserunt esse appellatos. Illud verò certum ac indubitatum est: *Hunnos*, sive *Hungaros*, temporibus Valentis Imperatoris, ex parte illa *Scythiæ*, quâ *Tanais* fluvius *Europam* ab *Asia* disternans, se in paludem *Mœotidem* exonerat, in maxima multitudine (nempe supra decies centum millia capitum numerante) in *Europam* irrupisse, peragratisque ac debellatis multis Regionibus, *Pannoniam* tandem, præ omnibus alijs, soli ubertate, illectos, pro habitatione sibi elegisse, ibique fixis sedibus, nomen Regionis de se dedisse, sicque *Pannoniam* olim, postea *Hungariam* denominatam esse. Verùm quid postea ab illis in *Pannonia* degentibus sit actum, vix sciri potest, ex defectu eorum, qui res patrias literis mandassent, præter paucula ea, quæ ab externarum Nationum scriptoribus referuntur de *Attila*, sed ne hi quicquam aliud, præterquam illatas per illum eis injurias, planctuosi carminis instar scripserunt, altò silentiò

tiò prætermiſſis rebus glorioſè per eum geſtis, totque ac tam præclaris ab eo de hoſtibus victorijs reportatis. His addo, quòd neque hi ipſi Authores, vel de tempore adventûs Hungarorum in Pannoniam, vel de ætate & diuturnitate Regiminis, ac vitæ ipſius Attilæ, mortisque anno, inter ſe conveniant. Annales enim Hungarici, ejus obitum ponunt ad Annum Domini: 445. Externi verò Scriptores eundem extendunt ad Annum Chriſti 454. Et horum quidem calculatio ac computatio, magis exacta eſſe videtur: conſtat ſiquidem Theodoſium II. Imperatorem, non unam cladem ab Attila accepiffe, quas inter, non poſtrema fuit illa in Dacia Ripenſi, in qua *Arnegiſtus* Dux Romani Exercitûs pugnans occubuit, quæ tamen Anno 447. ſcribitur contigiſſe. Tradit inſuper *Brietius*, & alij Hiſtoriographi, Attilam tantos progreſſus armorum per Occidentem feciſſe; ut auſus fuerit à Valentiniano III. Imperatore, Romæ Palatium ſibi ad habitandum poſtulare, idque ajunt Anno 451. eveniſſe. Difficultatem quoque acuratiõis hujus Chronologiæ descriptionis id auget, quòd Hiſtorici illi, (uti ſunt *Thuroczius* & *Ranzanus*, *Callimachus* item, & *Nicolaus Olahus*, imò & *Bonfinius*) qui res ab Attila geſtas, copioſius & ſtudioſius conſcribere conabantur, ſeriem annorum intermittant, & cumulativè tantùm, omnia ejus geſta referant. Unde non erat quid novi, quòd Synopſis Chronologica, de Regia Urbe Budæ, in noſtris Ephemeridibus Tyrnavienſibus, Anni 1686. quòd ad ſeriem Annorum, circa res geſtas Attilæ, à non nullis minimè probata fuerit, nam ſequendo hos Authores, neceſſum quoque erat, ſequi diſcrimen in temporum ſerie, à nobis, & ab alijs Authoribus allatum. Ab ipſo dein Attila, uſque ad *Geysam*. Ducem, imò ſerè uſque ad ipſa Sancti Stephani, primi Chriſtiani Regis Hungariæ tempora, vix ulla extant à noſtratibus narrata: quare nil mirum erit, ſi hæc Synopſi Chronologica, aliquorum Annorum res geſtæ compendioſè percurrantur, aut nec quidem annotentur: Ea tamen, quæ ab exteris illorum temporum ſcriptoribus annotata ſunt, aut à noſtratibus, ſequentibus ſæculis conſcripta, non prætermitemus, ſed in annos ſingulos diligenter referemus, ipſorum etiam Scriptorum nomina, imò ubi commodè fieri poterit, etiam eorum verba, pro majori authoritate Hiſtoriæ, diligenter adducendo.

Hunni igitur, poſt Hungari, & ſuo idiomate *Magyar*, Anno Chriſti 373. (à quo hanc Synopſim Chronologicam ordimur) tempore Valentis Imperatoris, & Damasi I. Romani Pontificis, ex Scythia Aſiatica, ſoli ſterilitatem, & Populi multitudinem cauſantes, egrediuntur. Capitaneis ſeu Ducibus conſtitutis: *Belâ* filio *Cholæ*, de genere *Zemen*, *Keme* & *Kadicka* ſratribus ejusdem: *Attilâ*, *Kewe*, & *Budâ*, ſive *Bledâ* filijs, *Bendeguck* de genere *Kadar*: Ex centum octuaginta tribubus, decies centies, & octoginta millibus numeratis. *Thuroczius lib. 1. Chronica Hungarica, Cap. 10. Inchofer, in apparatu ad Annales*

Ecclesiasticos Regni Hungarie. Et primò quidem in *Alanos*, qui scythicas solitudines incolebant, sæviunt. Deinde anno sequenti.

374. Gotthos Gentem robustissimam, quæ multas concusserat sui terrore Orbis partes, proprijs sedibus expellunt. *Thuroczius ibidem. Paulus Ozorius, suarum Historiarum, lib. 1.*

375. Gotthi ab Hunnis pulsî, novas sedes à Romanis expetunt. Sanctus Martinus ex Pannonia, Sabariâ Civitate ortus, in Episcopum Turonensem, in Gallia ordinatur. *Severus Sulpitius, in Dialog. lib. 1. Cap. 6.* Interim Hunni, sive Hungari, Bessos & Cumanos pertransunt, sibi que subigunt. *Thuroczius locò citatò.*

376. Idem Gotthi, à Romanis suscepti, locatîque in Thracia, ad Imperij Occidentalis fines à Barbaris tuendos, dum quietè inter Romanos agunt, *Lupicini* Ducis Romani avaritiâ exasperati, contra Romanos insurgunt, & hospites suos multis cladibus atterunt, victo fugatòque *Lupicino.* *Brietius, Ammianus.*

377. Continuantur Gotthorum cum Romanis prælia, atque sic Hungari, Gotthis sibi vel resistere non valentibus, vel ob conceptum in Romanos præfens odium, dissimulantibus, per fines Imperij orientis victoriosè transeunt, multisque alijs nationibus collectis, liberè ubique grassantur. *Ammianus lib. 31. Brietius, Ricciolus, Inchofer.*

378. Valens Imperator, præcipiti consilio cum iisdem Gotthis confli- git, duodecimo milliari ab Hadrianopoli, die 6. Augusti, ubi sagittâ sauciatus, & à suis in agrestem casam deportatus, à Barbaris, accensâ casâ, miserè exuritur. *Ammianus lib. 31. Nicephorus lib. 11. Cap. 50.* Hungari interim progressus & itineris, & victoriarum, magnos faciunt.

379. Theodosius, contra Gotthos feliciter pugnans, à *Gratiano* Occidentis Imperatore Syrmij Imperator Orientis creatur, Gotthosque ex Thracia pellit, & subinde etiam de Hunnis aliquas victorias reportat. *Zozimus, Idacius, Prosper in Chronico.* Longobardi, (quos inter postmodum & Hunnos multa fœdera intercesserunt) ex Scandia Peninsula egressi, Ducibus *Iborea* & *Ajone* Vandalos profligant, eorùmque Regionem sibi vendicant. *Brietius, Prosper in Chronico.* Hoc eodem anno, Hunnos sive Hungaros in Pannoniam primò per- venisse deducit *Inchofer ex Petro Ranzano.*

380. Procurante Gratiano Imperatore, pax cum Gotthis firmatur. *Prosper in Chronico:* Hoc eodem anno, vel certè adhauc priore, Hunni, sive Hungari, perspectâ Pannoniæ ubertate, & Regionis amœnitate, in eadem sedem sibi figere, unanimi statuunt voto. Incolebant autem tunc Pannoniam variæ Nationes, sed potissimùm Jaziges, Slavi, Alemanni, & Italici, (ut eos nominat

Thu-

Thuroczius, verùm quod addat inter illas fuisse etiam Longobardos, cùm hi primò anno priore ex Scandia egressi fuerint, id non videtur verosimile) eratque tunc Pannonia magna ex parte Romano Imperio subjecta, cui præerat singulari Romanorum gratiâ *Macrinus*, natione Pannon, Patriâ Sabariensis, homo arte militari valde celebris, è contra Germaniæ præfuit nomine Romanorum *Theodoricus* de Verona, seu *Detricus*, vel *Thetricus*, Patriâ Alemannus. *Macrinus*, cùm immensam ignotæ gentis (Hungarorum scilicet) multitudinem, intra sibi commissæ ditionis limites, jam jam penetrâsse, atque ad Tibisci ripam castra posuisse inaudijt, imò certis percepit nuncijs, advenas, suis violentas injicere manus, bonâque hostiliter diripere, consternatus animo, consilijque ambiguus, quid hoc rerum statu agere deberet, suis diffusis viribus, statuit Romanorum implorare auxilium, nec frustra; hi enim quam primùm ad preces *Macrini* proni, *Theodorico* in mandatis dant, ut *Macrino* modis omnibus opituletur, ad hostes improvisos Pannoniâ excludendos, neque is trahit moras, sed mox collecto ingenti exercitu, in Pannoniam descendit, castrisque suis ad Civitatem *Potentianam*, ad Danubij littus sitam, (quæ à Lazio creditur nunc *Adom* incolis dicta) cum castris *Macrini* conjunctis, cum eo de modo invadendi Hunnos consultat. Interim tamen uterque Dux, noctes quietas secutasque ducunt, (rati Danubium interjacentem, ponte destitutum eò loci, tutissimum esse munimentum; præsertim cùm scirent hostes navigijs quibus fluvium trajciant destitutos esse) dum ecce Hunni, sub tenebræ noctis silentio, inflatis suis utribus, (quorum beneficio à suo è Scythia egressu, quàm plurima assueverant tranare flumina) Danubium quoque infra Sicambriam transeunt, atque super hostilem Exercitum, nihil tale metuentem, vel suspicantem, irrunt. Ingens igitur exoritur tumultus, corripuntur arma, acerrimum committitur prælium: cadunt utrinque quàm plurimi, ultimatè tamen prævalent Romani, Hunnosque in fugam agunt: sed cùm ipsi quoque non minorem quàm Hunni acceperant cladem, fugientes non sunt persecuti, sicque reliqui indemnes transmissio Danubio, ad suos revertuntur. Sed & *Detricus* & *Macrinus* cum sui Exercitûs residuitate versùs Tulnam Civitatem recedunt. Ita *Thuroczius Chronica Hungarica, Cap. 11.* Verùm *Nicolaus Olahus*, & *Bonfinius*, hanc pugnam paulo aliter referunt contigisse. Ajunt enim *Macrinum* & *Detricum* cum suis Exercitibus repentina hac hostium incursione perculos, arma & castra deseruisse, ac in fuga ab Hunnis magnam cladem accipisse, ipsos verò Hunnos in valle *Tarnok* non procul à *Potentiana* Urbe, castra sua locasse; sequenti verò die, rursus à *Macrino* & *Detrico*, contractis, qui adhuc à clade supererant, & alijs quoque qui in vicinis præsidijs Romanorum erant, in ordinem redactis militibus, Hunnos in illa ipsa valle *Tarnok*, in vasos fuisse, cruentosq; præ-

lio utrinque commisso, ac à prima luce, ad solis occasum protracto, magnam utrinque editam stragem, ita, ut ex parte Hunnorum in hac pugna centum viginti quinque millia desiderata esse tradantur, ex parte autem hostium, ducenta decem millia scribantur cæsa. Ultimatè tamen declinante jam sole, Hunnos terga vertisse, quos dum *Macrinus & Detricus* persequi non possent, pugnando defessi, Hungaros, eâ, quâ prius celeritate Danubium trajecisse, & ad suos rediisse. *Detricum* verò & *Matrinum*, cum militum suorum reliquijs Tulnam oppidum versùs celeri itinere se recepisse.

381. Hungari post acceptam hanc cladem, renovato Exercitu, partes transdanubiales invadunt, atque illis obtentis, ac sub jugum missis, Tulnam Civitatem, ubi *Theodoricus & Macrinus* manebant, procedunt. rursumque cum ijs acriter configunt, ita feliciter, ut Romanorum Exercitum penitus profligaverint, fugaverintque. Cecidit in hoc cruento prælio, *Macrinus*, *Theodoricus* verò sagitta in fronte læsus, ægrè Hunnorum manus evasit.

382. Gotthi universi se Romanis tradunt. *Idacius*. confecto præmentionato prælio, Sicambria, cum tota ferè Pannonia, in manus Hungarorum devenit. *Thuroczius, Bonsinius, Olachius*.

383. Pars aliqua Hunnorum, sub Ducibus *Melga & Gavan*, à *Gratiano* Imperatore, contra *Maximum* Tyrannum evocatur. Quo tempore Sancta Ursula, cum undecim millibus Virginum, ab iisdem Hunnais, utpote tunc Gentilibus, ad Coloniam Agripinam, pro Virginitate DEO dicata, & constanter defensa, ad Virginitatis coronam, Martyrij Coronâ decoratur. De Passionis tamen harum Sanctarum tempore, (quo eodem anno *Gratianus* proditione *Alanorum & Hunnorum*, quos in auxilium advocaverat, à *Maximo* Tyranno, per *Andragathium* Ducem occiditur. *Baronius, Ricciolus, Zosimus lib. 4. Sozomenus lib. 8. Cap. 13.*) discordant Historiographi, cum alij eam referant, ad ipsius *Atilæ* tempora, & sub quodam *Julio*, seu *Gyula* Duce Hunnorum factum id fuisse, perhibent. Ita *Thuroczius & Olachus*.

384. Distractis Imperij Romani ad multas partes viribus, Hungari se in possessione Pannoniæ firmant.

385. Hungari, indigenis prioribus partim ejectis & pulsis, partim in servitute n redactis, dispersi per Pannoniam, selectis melioribus Regionis locis, domicilia sibi figunt, totamque Pannoniam inter se dispertiunt. Sanctus Hieronymus, Stridone ex Pannonia oriundus, doctissimis suis scriptis jam orbi notissimus, Româ Hierosolymam descendit. *Inchofer*.

376. Sanctus Martinus Pannonius, Treviris à *Maximo* Imperatore, ejusque conjuge, summo cum honore suscipitur, cui ut Viro Sancto, ipsa Imperatrix epulum manibus suis parare, eidemque ministrare mensæ accumbenti voluit,

voluit, ac sublatis ex illius mensa reliquijs pasci. Verùm Martinus ex his honoribus, & præsertim, quòd *Maximi* dolo *Ithacianis* Schismaticis ad horam communicasset, mœrens ex aula Imperatoris discedit. *Sever. lib. Dialog. 3. Inchofer.* Sanctus Hieronymus & ipse Pannonius Bethlehemum pergit, ibique ad interpretandas Sacras Literas Linguam Hæbraicam perdiscit. *Brietius.*

387. *Maximus* Imperator, vel rectius Imperij in vasor Romam occupat. *Zosimus lib. 4.* Hungari interim ditionum suarum fines dilatant.

388. *Maximus*, contra Theodosium Imperatorem pugnans ad Aquilejiam, sicut ei prædixerat Sanctus Martinus, interimitur. *Zosimus Lib. 5. Capite 14.*

389. Longobardi, Ducibus defunctis, primum sibi Regem creant *Agelaundum*, Aionis Ducis filium. *Prosper in Chronicis, Inchofer, Brietius.*

392. Sanctus Hieronymus, Librum de Scriptoribus Ecclesiasticis absolvit. *Brietius.* Et Tetradium Consularem ad Fidem Christi convertit. *Severus, in vita Sancti.*

393. Theodosius Imperator expeditionem contra Eugenium Tyrannum suscipit, accitis variarum nationum copijs, quas inter & Hunnos non paucos fuisse, credibile & verosimile est.

394. Theodosius, Eugenium Tyrannum devincit, profligat, & captum occidi curat. *Orosius lib. 7. Capite 30.* Inter Sanctum Hieronymum & Sanctum Augustinum, amica viget de Quæstionibus Sacris desceptatio, ut ex utriusque doctissimis Epistolis, videre est. *Brietius.*

395. Rufinus Aquitanicus, Romani Imperij proditor, Gotthos sub Adalrico militantes, & Hunnos, ad invadendos fines Imperij invitat, & varijs promissis compellit, atque hi Orientalis Imperij partes vastando, Rufini votis obsecundant, & Illyrium, Mæsiam, Macedoniam, depopulantur. *Zosimus lib. 5.* Præfuisse autem Hunnorum Exercitui in hac expeditione, inter alios, Attilam nec dum Regem, ex Ranzano colligit, *Melchior Inchofer, Sozomenus lib. 8. Cap. 1. & Olahus Cap. 4. asserit.*

396. Multi Hunnorum ad Fidem Christianam convertuntur, operâ Sancti Nicetæ Dacorum Episcopi, ut notat idem Author. Ex Epistola Sancti Hieronymi 7. & 11. Quod si ita est, necesse est, aut jam tunc Hungaros aliquos Daciam seu Transylvaniam incoluisse, aut Sanctum Nicetam, non solum Daciæ, verùm partium quoque Hungariæ Apostolum fuisse. Theodosio succedit Arcadius in Imperio Orientali, cujus metu Attila cum suis Hunnis, in Pannoniam regreditur. *Olahus Cap. 4.*

399. Nicetas Daciæ Episcopus, ex Italia reversus, res gestas Sancti Martini, è Libello à Severo Sulpitio conscripto, per Daciam & Pannoniam, longè

latóque spargit, ejusque famam Sanctitatis, apud ejusdem Patriotas disseminat. *Inchofer, Paulinus, Epistola 5. ad Severum.* Attila reducto Exercitu, ne id quoque temporis, quod supererat bello gerendo, inutiliter, ac præter suorum commodum absumeret, Regnum Pannoniæ Legibus stabilire statuit.

399. Gajnas, Exercitus Arcadij Imperatoris Dux, in Arcadium rebellat: *Zosimus, lib. 5. Ricciolus,* Hungaris interim eventum ejusdem rebellionis, præstolantibus.

400 Idem Gajnas tumultuari, Imperiumque Orientale perturbare pergit, sed ab Arcadij copijs in Thraciam reijcitur.

401. Uldes Hunnorum Dux, Gajnam Danubium traicere parantem, inhibet, interficit, ejusque caput hastili præfixum, Arcadio Constantinopolim mittit. *Zosimus, lib. 5. Sozomenus, lib. 8. Cap. 4.* Hoc eodem anno Christi 401. & ab exitu Hunnorum ex Scythia vigesimo octavo, ab iisdem Hungaris, unanimi voto, & consensu, in caput & Ducem, ac Regem uniyersæ gentis, eligitur Attila, unus ex primis in eorum egressu ex Scythia, Ducibus, *Inchofer ex Ranzano.*

402. Ad hunc Annum refert Baronius obitum Sancti Martini, Patriæ Pannonij, Episcopi Turonensis in Gallia, Viri Sanctissimi, & plurimis miraculis in vita & post mortem clarissimi. Attila Dominatum suum in Pannonia firmat, ejusque limites extendit.

403. Alaficus, Rex Gotthorum, ab Hunnis pulsum, Italiam invadens à Stilicone, Romanæ Militiæ Duce, (sed simul Romani Imperij insidiatore ac occulto ejusdem hoste, adeoque & ipsius Attilæ fautore) ad Pollentiam Liguriæ Urbem, vincitur, & capitur, sed perfidiosè elabi ab eodem permittitur. *Brietius.*

404. Attila Urbem Sicambriam, ob loci & soli amœnitatem, in Regiam & Metropolim suam deligit, eâ tamen, imò totâ Hungariâ minimè contentus, stimulante innatâ ambitione, vicina quoque Regna, ac Provincias, opportuna sibi tempore invadere, statuit.

406. Radagajsius natione Scythia & Paganus, cum ducentis millibus suorum, Italiam invadit, & jam Romæ oblectæ & expugnandæ imminet, sed DEO sic disponente, ab *Huldia & Saro* Hunnorum Gotthorumque Ducibus, quorum uterque tunc à Romanis stabant, vincitur, & atteritur. Amputatur Radagajsius caput, milites illius captivi, singulis aureis, & viliori adhuc pretio divenduntur, sicque mancipijs Italiam totam, quam terruerant, implent. *Ozorius lib 7. Cap. 22. Brietius, Inchofer.*

407. Imperium Romanum in occidente turbatur, per Stiliconis prodicionem, quâ de re Sanctus Hieronymus Epistol. 3. ad *Ageruchiam* sic scribit:

Quid.

Quidquid inter Alpes & Pyreneum est, quòd Oceano & Rheno includitur, Pannonij hostes vastarunt.

408. Stilico Romanorum Imperium affectat, & varios hostes, & inter hos etiam Hunnos, contra Honorium Imperatorem excitat, quorum auxilio, *Fucherium* filium suum, Cæsarem creare destinat, ast proditionis convictus, ab Honorio interimitur, id quod percommode accidit Honorio, Hunnis cum suo Duce tunc Stiliconi rebellantibus. *Zosimus lib. 6. Theophanes, Socrates lib. 6. cap. ultimo, Inchofer, Briccius.*

409. *Alaricus* Gotthorum Rex, conjunctus fratri *Ataulpho*, qui Exercitum ex Gotthis & Hunnis confecerat, statuit Romam caput Imperij impetere, aut saltem terrere, vel si fortuna faveret etiam occupare; hac vice tamen, multò aurò à Romanis appenso, obsidionem Urbis solvit, & cum Honorio Imperatore, pacem inire statuit. *Briccius.*

410. Pacem, quam *Alaricus*, cum Honorio Imperatore stabilire statuerat, eam Hunni, sub Honorio militantes, cum suo Duce perturbant. Hic enim cum trecentis suis selectissimis, in *Alaricum* incautum irruens, aliquot ex Gotthis interimit, & omnes perturbat; unde iratus *Alaricus*, Honorio, quasi hujus cladis auctori, ad obsidendam Romam redit, eandemque occupatam prædatur. *Briccius, Zosimus, Orosius lib. 2. cap. 29.*

411. *Alaricus*, post Urbem occupatam, & exspoliatam, profectus *Rhegium*, ut inde in Siciliam, & Africam trajiceret, navibus tempestate disjectis, morbo perit, cui succedit frater ejusdem *Ataulphus*, qui rursus Romam redit, eamque iteratò capit, ac diripit. *Inchofer.* Quod tamen alij ad ptoximè præcedentem annum referunt, ita, ut utraqùe hæc Urbis expilatio, in eundem annum incideret.

413. Burgundiones ab Hunnis pressi, Fidem Catholicam amplectuntur, rati hâc ratione se efficacius, quàm ul'â humanâ ope, Hunnis resistere posse. Nec vanè, hâc enim suscepta, sæpiùs, licet pauciores numero, de majori copia hostium, victorias reportarunt. *Inchofer ex Soer. lib. 7. cap. 30.* Verùm id longè prius videtur accidisse, nempe, dum adhuc Hunni ex Scythia progredientes, alias gentes & nationes interjacentes expugnarent. Nam ut *Calimachus*, in *Attila*, numero 50. refert, inter alias bellicas expeditiones, Hunni in suo progressu memorantur duas in Burgundos aggressiones suscepisse, & secundam sic enarrat: *Quandoquidem Burgundi, priore bello, multis certaminibus, remale gesta, rursus contra se venisse senserunt, ad Divinam opem confugere, Christianisque Misterijs initiati, magno prælio fusos hostes, cæsoque, finibus suis exturbare.* Porro Burgundiones, seu Burgundos incoluisse tunc illas terras, per quas Hunnis transire necesse fuerat, utpote Gotthis vicinos. *Ex Plinio, & Tacito,*

alijsque constat. Qui postmodum inde egressi, primò Chattorum & Alemannorum occupavere terras, ac tandem in Galliam Celticam transmigraverunt, ibique Regnum Burgundiæ erexerunt. Ut pluribus describit *Cluverius*, & ex illo *Baudrand*, in sua *Geographia*.

416. 417. Attilæ Societatem armorum, nominis, fortitudinis, ac in rebus militaribus gloriæ famâ pellecti, quàm plurimi exteri populi exoptant, *Olahus capite 4.*

418. Attila Generalem Conventum suis Sicambriam indicit, consilium cum illis de expeditionibus bellicis, quas animo volvebat, initurus, ad quem multi ex externis quoque Provincijs Proceres, vel spe prædæ, vel liberalitate Attilæ allecti conveniunt, quos inter fuit etiam *Theodoricus* seu *Detricus* Veronensis, juratus antehæ & infensissimus Attilæ, Hunnorumque hostis. *Thuroczius, Olahus.*

419. Attila, tam pro sua autoritate conservanda, quàm benevolentia captanda, prædictum Theodoricum, aliósque cœteros Principes, ad hæc comitia convenientes, muneribus Regijs exornat.

420. Attila ingentes apparatus bellicos facit, exercitum recenset, ac describit, armorum & machinarum bellicarum, ad mœnia hostilia diruenda, non parvam vim comparat: ad hæc decem millia curruum falcatorum, quibus castrorum suorum munitionem, velut muro arceret, constituit. *Thuroczius, Olahus.* Sanctus Hieronymus Patriâ Pannonius sanctè obit. *Baronius.*

421. His ita dispositis, cum ingenti Exercitu, ex suis, exterisque collecto, expeditiones bellicas suscipit, primòque Illyricas Provincias invadere statuit. Interea verò ne per absentiam suam, quid turbarum oriri in Pannonijs posset, Fratrem suum Budam, Regni sui participem facit, eumque in Regni administratione, locò sui constituit. *Ricciolus, Marcellinus.*

422. Attila Thraciam, & vicinas illi Regiones, crudeliter devastat, iisque perdomitis Sicambriam redit.

423. Joannes quidam Imperij Romani invasor, Hunnis per Aetium Romani Exercitus summum Ducem accitis, ad petendam veniam, à Theodosio Juniore Imperatore compellitur. *Inchofer, Socrates, lib. 7. cap. 23.*

425. Idem Dux Aetius, offensus à Placidia Honorij defuncti Sorore, sexaginta millia Hunnorum evocat, magnaque utrinque edictâ Strage, rem suam amicè componit, & à Placidia in gratiam receptus, Hunnos auro donatos, in Patriam suam remittit. *Prosper, Marcellinus, Socrates, Libro 7. Capite 23. & sequentibus.*

428. Idem Aetius, Gallias Rheno proximas, à Francis occupatas, recuperat. *Prosper, Ricciolus.*

429. Idem Aetius, Magister militum factus, propè Arelate, Gotthos debellat. *Idatius.*

432. Idem Aetius, infortunatè in Asia pugnans, Romam profugit, mox in Dalmatiam, ac inde in Pannoniam abit, & Hungarorum usus amicitia, & auxilio, pacem obtinet, & ad Romanum solum, dignitatè que pristinam redit. *Inchofer, Prosper in Chronico.*

435. Gvadicularius Burgundiorum Rex, ab Aetio victus, pacem obtinet, sed illum Hunni, cum stirpe & populo delent. *Prosper, Ricciolus.*

436. 437. Aetius Narbonam à Theodorico Gotthorum Duce obsessam, liberat. *Idatius.* Et bellum adversus eosdem Gotthos, auxiliantibus Hunnis gloriosè gerit. *Ricciolus.*

438. Littorius, secundæ ab Aetio Patritiæ Potestatis, Hunnis auxiliariibus præpositus, dum Aetij gloriam superare contendit, cum Gotthis imprudenter conferendo, magnâ clade afficitur, & capitur, *Inchofer.*

440. 441. Hunnorum pars una, non confæderata Romanis, Romano- rum Imperium in Occidente vexat, altera verò cum Attila, Illyrium & Thraciam depopulatur, omnesque Civitates & Castella Thraciæ, præter *Hadrianopolim, & Heracleam*, in suam potestatem redigit. *Inchofer, Brietius, Paulus Diaconus, Libro 14.*

442. Theodosius Cæsar, ad placandum Attilæ furorem, eidem sex milia librarum auri persolvit, & mille annuas promittit. *Prosper & Chronicon Alexandrinum.*

443. Attila cum suo Exercitu, prædâ divite, Pannoniam repetit.

444. Attila post tot Provincias everfas, rapinas, & strages hominum, rediit in Pannoniam, ubi deprehendit Budam fratrem creditam sibi in Regni administratione potestatem transcendisse, indignatus, iratusque, captâ, arreptâque occasione, dolò circumventum stringit, propriisque necat manibus, atque ejus cadaver in Danubium abjici, demergique præcipit. *Inchofer, Brietius, Ricciolus.*

445. Attila Svasu Theodorici Veronensis, & ambitionis propriæ ductu, Occidentales Imperij Provincias invadere statuit.

446. Hunc iam finem igitur non inscius, quos hostes habiturus esset, quàm maximas copias militares comparat, & non solum per universas Pannonias delectum habet, verùm etiam externas alias nationes, in armorum societatem pertrahit, quæ spe prædæ, eidem maximo numero adhærent, ita, ut supra quingenta millia armatorum jam numeraret. *Bonfinius, Decadis 1. lib. 4.*

447. His ita dispositis, Attila in terras designatas suscipit expeditionem, sed prius cum *Amegisilo* Romanæ militiæ Duce, in Dacia Ripensi, scribitur con-

fluxisse, cœso ipso Duce, & Exercitu illius dissipato, ac ferè delecto. *Marcellinus in Chronico, Inchofer, Ricciolus.*

448. Attila tanto furore Germaniam aggreditur, ut vicos passim, & opida concremaret, omnes cæderet, sacra & prophana æque dirueret, nec ætati, nec sexui, usquam parceret, omnia cædibus, & rapinis compleret, facilem ex immani sævitia sperans se consecuturum victoriam, illis tantùm partibus Germaniæ parcens, quarum populi secum armorum societatem iniissent. *Bonsinius Decad. 1. lib. 4.*

449. Superato dein *Adula* montis jugo, in Helvetios pari crudelitate grassatur, & quidquid inter Rhodanum, Rhenumque interjacet, passim diripit. *Idem, Ibidem.*

450. Transgreditur cum Exercitu suo Rhenum Attila & Burgundiam aggreditur, ac Sigismundum ejus Regionis Principem, cum magna manu sibi occurrentem fundit, fugatque, qui dein utilitati suæ consulere cupiens, pacem per Legatos ab Attila obtinet: pollicitus sub ejus ductu & auspicijs, stipendia se facturum, & grata semper obsequia præstiturum. Deinde secus Rhenum transeundo, Argentinam Civitatem munificentissimam obsidet, expugnatque ac diripit, direptamque mœnibus, plurimis in locis nudat, ita, ut ex omni parte Urbis, pateret per eam aditus, & liber transitus. *Bonsinius Decadis 1. Cap. 4. Calimachus, Olahus.*

451. Hinc movens cum Exercitu, Gallias vastat, ac depopulatur, & Civitates munitas, ac fortes, opibusque divites, expugnando diripit, ac plerasque solo æquari jubet, Nomenque *Flagelli DEI* circumferens, ex prædictione cujusdam Sancti Viri, ad scelera Christianorum puniendâ, in cunctos sævit. Mentensium Urbem, in ipsa Vigilia Paschæ succendit, & totam in cineres redigit. *Trecas* quo minùs perderet, precibus suis impeditivus Episcopus ejusdem loci, Sanctus *Lupus*. Hic enim cum Attilam appropinquare audivit, Pontificali mox indutus amictu, cum omni Cleri sui cœtu, illi obviam processit, ac ubi ad eum venisset, sic eum alloquitur: *Tu, quis es, qui terram dissipas, ac conculcas? Cui Attila: Ego sum Attila Rex Hunnorum, Flagellum DEI.* Ad quam vocem Sanctus *Lupus* Episcopus, portas Civitatis aperiri jubet, & ad Regem ait: *Bene venerit Flagellum Domini mei*, illumque ac ejus Exercitum in Urbem introducit. Hunni verò sive humanitate Episcopi exigente, sive Divino Numine aspirante, absque cujuslibet offensione, mediam sine ullo nocumento transeunt Civitatem, insuper Attila Sanctitatem Viri admirans, se eidem commendavit, & ut DEUM pro se precaretur, humiliter rogavit. Dein in *Tholosanam* venit Civitatem, quam tamen intactam & indemnem reliquit, eò, quòd per cives ejusdem, honorificè fuerit exceptus. Post hæc *Rhemensem* Urbem, depopu-

Iatus prius uniuersam illi adjacentē regionem, acri obsidione cingit, atque eandē vi expugnat, incolis omnibus interneccione deletis. *Aurelias* quo minùs cape-
ret, Sancti Aniani Episcopi precibus diuinitus id datum est. Sic & *Parisios* quo
minùs pèrderet, Sanctæ Genouefæ Orationibus & meritis adscribitur. Et tan-
dem in *Hispaniam* usque uictricibus armis penetrat, atque in campis Catalau-
nicis, longè latèque patentissimis, cum potentissimo Rege Gotthorum, & Aetio
Romano Senatore, ac Militiæ Magistro, crudelissimo omnium prælio confligit,
multis suorum amissis, multis quoque hostium cœsis, ita, ut ex utraque parte
centum octuaginta millia hominum, in eo perijsse scribantur. Peractâ cruen-
tâ hac pugnâ, eodem fermè utriusque partis successu & detrimento, Attila in
ijsdem Catalaunicis campis, plaustrorum inter munimenta aliquantis per se
continet, dum interea Romanus etiam Exercitus, cum auxiliariis copijs di-
spergitur. Pars una Hungarorum, quæ huic prælio interesse non potuit, ob
metum Attilæ, redire ampliùs in Pannoniam ausa non fuit, sed ibidem in Cata-
launicis oris permansit, & ejusdem Regionis incolatum accepit. *Brietius, Sig-
bertus, Gregorius Turonensis, lib. 2. Histor. Cap. 6.*

452. Post hæc Attila Italiam in vadit, priùs tamen Illyrici sinûs oram de
populatur, & Trigurium, Sebenium, Polam, Segniam, & cœteras Civitates
diripit, & incendit. Mox Italiam ingressus, Aquilejiam, Patavium, Licinum,
Mediolanum, & reliquas Italiæ Urbes vastat, sed dum Italiæ caput Romam ag-
gredi parat, per Sanctum Leonem summum tum Ecclesiæ Pontificem, placatur,
ejusque interventu, pacificè recedit, & Exercitum in Pannoniam reducere sta-
tuit. *Marcellinus, Cassiodorus, Blondus, Lib. 3. Decad. 1.*

453. Circa hæc tempora, effecit id Attilæ barbaries, crudelitâsque, ut
vicini populi, cum quàm plurimis Aquilejiæ civibus, (qui ante obsidionem sibi
fugâ consuluerant) quò ab Hungarorum impetu securi essent, sese in Insulam
(quæ Rivus altus dicebatur) reciperent, & celeberrimæ Venetiarum Urbi ini-
tium darent, tutissimum refugium in medijs aquis futuræ, elusuræque Hunno-
rum navigijs destitutorum, furorem & conatum.

454. Tandem Attila, tantorum jambellorum pertæsus, Bactrianorum
Regis Filiam *Mikolth*, Virginem speciosissimam, in uxorem ducit, ipsaque no-
cte nuptiarum, sanguine copioso è naribus in fauces exundante, suffocatur.
Anno ætatis 124. *Inchofer, Brietius, Idatius, Theophanes. Hungaricum Chroni-
con*, mortem Attilæ, an Annum 445. refert, quod & nos secuti fuëramus in Sy-
nopsi Chronologica, de Regia Urbe Buda. Sed re melius perpensâ, nunc sequi-
mur, aliorum Historiographorum, potiozem partem, & majorem authori-
tatem.

455. Post mortem Attilæ, gravissima inter Hungaros, & maximè inter
duos

duos natu majores filios; *Chabam*, ex Honorij Græcorum Imperatoris filia primogenitum, & *Aladarium*, de Illustri Germaniæ Ducum Familiæ *Kremhyleth* vocitatae matre susceptum, exoriuntur discordiæ, illis suam veterem libertatem vendicantibus, his verò regnandi præminentiam sibi invidentibus, eripientibusque. *Thuroczius, Bonfinius, Olachus.*

456. Discordia memorata, in pugnam & cœdem, si unquam aliàs cruentem erumpit. Hoc siquidem fraternum certamen, & intestina tanti populi clades, quindecim ferè continuorum dierum tenuit spatium, tanta utriusque partis strage, ut ob effusum humanum sanguinem, Danubius secùs Budam, non tantùm rubicundus, sed in sanguinem versus videretur. *Thuroczius, Antiquum Hungariæ Chronicòn.*

457. Rebus ita turbatis, *Aladarius*, ut viribus impar, & suis ferè nudatus populis, à Gelfidarum Rege *Ardarico*, bello petitur, superatur, & interimitur. *Chronicòn Hungariæ.*

458. *Chaba*, alter *Attilæ* filius, metuens parem stragem, cum suis reliquis natu minoribus fratribus, & residuo quindecim millium Exercitu, fugâ sibi consulens, in Græcorum Imperatoris, cui sanguine justus fuerat, tutelam se recipit. *Thuroczius, Olachus.*

459. Residui Hungari, in cõfinia Transylvaniæ se recipiunt, ibique sedem suam figunt, ac deposito Hunnorum nomine, sese *Siculos* denominant, ubi eorum posterì, ad hanc usque diem manent, terrasque illas ac nomen retinent.

460. *Ardaricus*, Rex Gepidarum, Hungaris partim cœsis, partim ultrò fugientibus, recedentibusque, & ijs paucis, qui adhuc in Pannonia remanserant, ejusdem Imperio se subdentibus, Pannoniæ invadit Dominium.

468. *Denzices*, unus ex *Attilæ* filijs, qui cum *Chaba* se in Græciam receperat, in Leonem Græcorum Imperatorem insurgit, magnasque turbas excitat. *Marcellinus in Chronico.*

469. *Leo* Imperator Græcorum, Duce *Cathelico*, prælio *Danzicem* vincit, cujus caput conto Constantinopolim delatum, magnâ omnes lætitiâ efficit, victorique ingentem gloriam conciliat. *Priscus, Inchofer, Brietius.*

471. *Chaba* filius *Attilæ*, post tredecim annorum in Græcia moram, desperans pro hac vice reditum in Pannoniam, cum residua Hungarorum sibi adherentium parte, in Scythiam discedit, non cessans usque ad finem vitæ, suis suadere, ut data occasione, rursus Pannoniam repeterent.

478. Ostrogothi, observatâ exigua potentia Gepidarum, & Hunnorum clade, fugæque, necnon remota Gotthorum affinitate persuasi, Pannonias sui Juris faciunt, atque per complures Annos, sub *Athalarico, Valamire,*

mire, Theodomire, ac Theodorico Regibus, sibimet succedentibus, eandem pacificè possident. *Vetus Hungaria Chronicon.*

481. Hoc anno facta est translatio Corporis Sancti Martini Pannonis, ex loco in quo conditum fuerat, tot miraculis, quæ ad ejus sepulchrum fiebant, minùs congruo, in Basilicam, splendide à *Perpetuo* Episcopo, qui sextus à Martino Ecclesiæ præfuit, extractam. Eodem anno moritur Sanctus Severinus Noricorum, & Pannoniæ Apostolus. *Inchofer.*

499. Symachus Papa, Theodoro Laureacensi Archi-Episcopo pallij usum concedit, ejusque Jurisdictioni Pannoniam quoque subjicit. *Inchofer.*

Hoc eodem anno, primùm Bulgari, ex partibus Tartariæ Moschoviticis, (ubi etiamnum est hujus nominis Provincia) prodeunt, Thraciam vastantes, quam postmodum etiam sui juris fecerunt, & à suo nomine, Bulgariam denominârunt.

502. Bulgari, iterum Thraciam nullo prohibente, depopulantur. *Brietius, Bucelinus.*

503. Iidem Bulgari, Pannoniam infestant. *Ricciolus.*

504. Theodoricus Rex Ostrogothorum, Bulgaros vincit, & Pannoniam Syrmiensem sibi subjicit. *Inchofer, Cassiodorus.*

515. Hunni Scythici, Capadociam vastant. *Cassiodorus, Bucelinus, Ricciolus.*

516. Anastasius Imperator Orientis, cum iisdem Hunnis paciscitur. *Bucelinus.*

526. Longobardi Anduino Rege, Pannoniam occupant, Ostrogothis inde pulsis. *Ita Chronica Hungarica. Vide infra Anno 549.*

528. *Bareza* vidua, *Bolachi*, seu *Malachi*, Regis Hunnorum eorum, qui *Saberi*, aliàs *Izabeni* dicebantur, quondam uxor, cum centum millibus suorum, ad partes Justiniani Imperatoris accedit, & duos Reges Hunnorum, à Calade Persarum Rege, contra Justinianum excitos, per fines suos transire tentantes, devincit, & unum illorum *Glonca* nomine, in acie interimit, alterum *Styriacem* victum, Constantinopolim mittit. *Cedrenus, Brietius, Ricciolus, Inchofer.*

439. Hunni, à Sinu Jonico, omnia, usque ad Constantinopoleos suburbana, depopulantur; ingentique prædâ onusti, nemine penitus eis resistente, domum revertuntur. *Procopius, Ricciolus, Brietius, Inchofer.*

540. Hunni, ex hac depopulatione reversi, Chersonesum expugnant, angustias maris, inter *Abidum* & *Sextum* transeuntes, in Asiam excurrunt, cunctaque deprædantur, & ipsum Imperatorem Justinianum, ad tributum pendendum cogunt. *Procopius, Inchofer.*

544. Hoc anno Martyrium obit Sanctus Laurianus Hispalensis, natione Pannonius, sive ut omnes ferè Hispanorum Scriptores loquuntur; Hungarus, Episcopus Hispalensis, in Hispania, occisus in odium Fidei, à Totila Gothorum Rege, Turonij, dum Sacras Reliquias Sancti Martini gentilis sui ibidem inviseret. *Mariana lib. 5. cap. 8. Breviarium Hispalense, Inchofer.*

548. Sclavini, sive Sclavi, transmissò Istro, Illyrium occupant, eique nomen à se imponunt. *Brietius.*

549. Longobardi à proprijs sedibus, super Istrum positis, egressi, exemplo Sclavorum, qui anno superiore, eodem flumine transmissò, Illyrium occupârunt, ipsi quòque finitimas Regiones populantur, grassatique in Dalmatiam, Illyrium, Epidaurum usque, cuncta devastant. *Procopius, Brietius, Inchofer.* Verùm quòd hi Authores addunt Longobardos, hâc occasione etiam Pannoniam occupâsse, minùs verisimile est. Constat siquidem Longobardos, annis quadraginta duobus Pannoniam incoluisse, & inde anno 598. à Narsete evocatos in Italiam fuisse, nisi fortè per Pannoniam, intelligant partes illas Pannoniæ, quæ sunt extra illam Pannoniam, quæ nunc Hungaria dicitur. Olim enim nomen Pannoniæ longè latius se extendebat.

550. Ex eadem gente Sclayonica, alter Exercitus Istrum transit, & residuas partes Illyrij, Thraciamque devastat. *Procopius, Inchofer.*

551. Sclavi, ad Hadrianopolim, Romanum Exercitum profligant, & usque Constantinopolim irrumpunt, ægrèque inde repelluntur. *Brietius Chronica Hungaria.*

552. Iidem Sclavi, & Hunni, Orientale Imperium Romanum, acriùs infestant. *Ricciolus.*

558. *Zaberga*, Contriguratorum Hunnorum Dux, Scythiam, Mœsiamque transgressus cum ingentibus copijs, partem Exercitûs in Græciam, partem in Chersonesum Thraciæ dimittit. Ipse cum aliquot millibus Equitum, Constantinopolim pergit, & ubique miserandam stragem edit. Quem tamen *Belizarius* licet jam senio confectus, ultra progredi inhibuit, Hunnisque ut ad propria redirent persuasit, sed non nisi appenso auro, annuòque tributo promisso. *Brietius, Inchofer, Ricciolus.*

559. Sanctus Martinus mirandis virtutibus erga *Chramnum* filium *Clotarij* Regis Francorum claret. Hic enim à parente, ob concitatam rebellionem, ter in vincula datus, ter invocata Sancti Martini ope, catenis spontè refractis, ac dissilientibus liber evasit. Quod Rex in animum demittens, non solum liberum esse jussit filium, sed & pristinæ gratiæ restituit. *Sanctus Gregorius, de miraculis Sancti Martini, lib. 1. cap. 27.*

560. *Theodemirus*, aliàs *Ariamirus* Rex Svevorum, in Gallicia Hispanorum, ex Arianismo, ad Fidem Catholicam convertitur, motus miraculo Reliquiarum Sancti Martini, quarum ope & tactu, filium à lepra mirabiliter sanatum ipsemet conspexit. Eodem autem tempore, quò hæ Sacræ Reliquiæ in Galliciam advectæ sunt, ibidem Sanctus Martinus junior, & ipse Pannonius, imò & Sabarià, Patrià Sancti Martini Senioris oriundus, in Episcopum ordinatur. *Sanctus Gregorius, lib. citato cap. 10. Baronijs, Brietius, Inchofer.*

562. Basilica Sancti Martini Turonis, per *Wilicharium*, qui in eam confugerat Socerum *Chramni*, filij Clotarij Regis, ejusque conjugem succenditur. Eadem tamen protinus jussu Clotarij reparata, pristinæ elegantiæ restituitur. *S. Gregorius lib. 4. cap. 20. Inchofer.*

564. *Chramnus* filius Clotarij, rursus in patrem rebellans, & cum eo configere ausus, vincitur, & capitur, ac cum uxore & filiabus, à quibus ad rebellionem incitabatur, in tuguriolo rustico, jussu Patris, vivus exuritur. Ita igne luerunt, quorum culpâ Divi Martini Basilica igne conflagravit. *Inchofer, Brietius.*

566. Sanctus Gregorius Turonensis, insigni miraculo, virtute Sancti Martini, cui se commendaverat, à lethali febre sanatur. *Idem Gregorius, lib. miraculorum Sancti Martini, cap. 32.* Eodem anno, ab Hunnis Legati, ad Justinum XI, Imperatorem Orientis mittuntur, annuam pensionem precepturi, quæ ijs ab ejusdem antecessore Justiniano numerabatur, sed à Justino rejiciuntur, indicto insuper iisdem bello, nî imposterum à talibus abstinerent. *Brietius.*

567. Hunni igitur hoc responso Cæsaris incitati, Duce *Avario*, rursus Pannonias invadunt, atque à nomine hujus Ducis, longo tempore Avars denominati sunt. Interea verò *Narses* Eunuchus, Militiæ Imperatoris Justiniani Dux, offensus à Sophia Augusta, ab eademque contemptus, *Alboinum* Regem Longobardorum, qui tunc Pannoniæ dominabatur, à Pannonia in Italiam evocat. *Paulus Diaconus, lib. 1. cap. 6, de gestis Longobardorum.*

568. Longobardi factò foedere cum Hunnis, iisdem Pannoniam relinquunt, eâ conditione, ut si aliquando Longobardos redire oporteret, liceret eis in Pannoniam, ad antiquas possessiones redire. Ipsi verò post quadraginta duos annos Pannoniæ cultæ, cum uxoribus & liberis, in Italiam proficiscuntur, eandem occupaturi. *Idem Paulus Diaconus, lib. 2. cap. 6.*

569. Hunni, sive *Avars*, hoc anno gravem accipiunt cladem, à Tyberio Excubitorum Comite, Exercitûs Justiniani Duce, pacemque ab eo petere coguntur. *Brietius, Ricciolus.* Interea *Alboinus* Rex Longobardorum,

magnam partem Italiæ occupat. *Paulus Diaconus, de gestis Longobardorum, lib. 2. cap. 20. Blondus lib. 7. decad. 1.*

570. Longobardi Mediolanum expugnant, & Ticinum seu Papiam obsidere statuunt, omniâque castra & Urbes, usque in Tusciam obtinent. *Brietiis.*

571. Alboinus Rex Longobardorum, Ticinum deditione capit, nec diu post *Veronæ* dolo uxoris *Rosemundæ* occiditur, in locum cujus *Clephis* à Longobardis substituitur. *Gregorius Turonensis, lib. 4. cap. 35. Paulus Diaconus, lib. 2. cap. 14. Varnesfridus lib. 2. cap. 28.*

573. Longobardi Italiam vexare continuant, *Clephis* tamen Rex eorum, post regimen septemdecim mensium, à servo occiditur, post quem fuit Interregnum decem annorum. Quo temporis spatio, triginta Duces Longobardorum, diversa loca & Civitates Italiæ, inter se diviserunt, & sibi usurpârunt. *Brietiis, Paulus Diaconus, lib. 2. cap. 17. Sanctus Gregorius lib. 4. Epist. 34.*

574. Tyberius Excubitorum Comes, qui anno 569. contra Hunnos, sive Avars feliciter pugnaverat, hoc anno Justini temerarijs consilijs obsecutus, ab ipsdem profligatur, & tantùm non captus est. *Cedrenus lib. 4. Histor. Inchofer.*

576. Beati Martini orationibus Reges Francorum *Gutheramus*, & *Sigisbertus* decertantes, conciliantur, pace ex improvîso compositâ: eodémque ipso die, tres paralytici, & omni ferè membrorum usu destituti & defecti, ad ejusdem Sancti Sepulchrum orantes, admirabiliter pristinæ sanitati restituntur. *Gregorius Turonensis, lib. 2. miraculor. cap. 5. 6. & 7.*

577. Longobardi, qui nuper in Italiam venientes, Pannoniam Hunnis sive Huugaris reliquerant, Romam ipsam obsident, per totâmque Italiam cædibus flammisque grassantur. *Brietiis.*

584. Longobardi, Romam Urbem ad angustias redigunt. Hinc *Pelagius* Romanus Pontifex à *Mauritio* Imperatore auxilia implorat. *Brietiis.*

585. Longobardi, à cæde Regis sui *Clephis*, decennio toto carentes Principe, filium ejusdem *Clephis*, dictum *Autharith*, Regem eligunt, eique omnes illi XXX. Duces, qui inter se partiti fuerant Italiam, substantiæ suæ dimidium, pro usibus Regalibus tribuunt. *Paulus Diaconus, de gestis Longobardorum, lib. 3. cap. 8.*

587. *Cangerius* Dux Avarorum, seu Hungarorum, ferè usque Constantinopolim prædando excurrit. Sed à *Commentio* Duce Romani Exercitus, improvîso circumventus, plurimis suorum amissis, retrocedere cogitur. *Cedrenus, Inchofer.*

591. Mortuo Autharîo Rege Longobardorum, substituitur *Agilulphus*, qui totâ Italiâ potitus, præter Romam & Ravennam, cum adjacentibus locis, ex Arianâ hæresi, cum omnibus Longobardis, ad Fidem Catholicam convertitur. *Paulus Diaconus, lib. 4. cap. 1. & 2.*

592. Sanctus Gregorius Papa, pacem cum Longobardis init, sicque suis Romanis providet. *Brietius.*

593. Vel juxta alios 594. *Chaganus* seu *Cajanus* Hunnorum Dux, cum Avaribus & Sclavis Istro trajecto, Thraciam invadit, ac inundat, omniâque fædè diripit, Heracleam usque exurrens; sed multis certaminibus circumventus, consilio clari, & eloquentiâ missi Legati persuasus, pacificè cum suis in Pannoniam redit.

595. Hunni, sive *Avares*, e Pannonia, in Thuringiam impetum faciunt, & gravissima prælia cum Francis gerunt, postmodum tamen ab his, ingenti pecuniâ acceptâ, ad propria revertuntur. *Inchofer, Blondus lib. 8.*

600. *Chaganus* cum suis Hunnis, seu *Avaribus*, Thraciam rursus invadit, tantumque terrorem Thracibus incutit, ut plerique consilium caperent, Europâ desertâ migrandi in Asiam. Sed simplicitas *Chagani*, timidum hoc consilium impedijt. Cùm enim *Driziparâ* direptâ, Templum Sancti Alexandri Martyris, in ea situm incenderet, sepulchrumque illius argento spoliaret, sacrâque ejus Reliquias ignominia afficeret, pestis ingens *Chagani* Exercitum invadit, ac magnam partem illius consumit, sicque in Patriam suam, malè mulctatus redire cogitur. *Theophrastes in Miscellaneis, Nicephorus, lib. 18. cap. 28. 29.*

602. *Mauritius* Imperator, à Phoca Centurione, unâ cum filijs & conjugè, miserabili morte occiditur, haud dubiò illius clementiam, ac immisericordiam puniente. Nam cùm *Chaganus* nupero bello, ingentem multitudinem ex populo Mauritij incaptivâisset, & *Chaganus* eorundem restitutionem Mauritio ultrò obtulisset, si pro singulis captivis, singulos nummos eidem rederet, abnuvit id facere *Mauritius*. Tunc iratus *Chaganus*, ad unum omnes interneconi dedit: hæc Legato reddens: Judicet inter me, & *Mauritium* DEUS. *Nicephorus lib. 18. cap. 40. & 41.*

604. *Phocas*, cum *Chagano* Duce Hunnorum seu Avarum inducias paciscitur, & contra *Cosrhoem* Regem Persarum, bellum ducit, sed prorsus infelici exitu, ac eventu *Cedrenus*. Item *Phocas* Imperator, *Narsetem* Ducem, alias Rebellem, qui Longobardos ex Pannonia in Italiam evocaverat, iteratis juramentis de securitate perfidiosè revocatum, vivum exuri jubet. *Cedrenus, Brietius.* Longobardi verò firmato in Italia Regno, nunquam amplius repetière Pannoniam.

618. Heraclius, iturus contra Cosrhoem Regem Persarum, cum Chagano Duce Avarum seu Hungarorum præproperè pacem sancit: sed deceptus ab eodem, tantum non comprehenditur: Insuper cum Heraclius Bizantio abest, ille usque ad Urbis Regiæ moenia, cuncta deprædatur. *Cedrenus, Theophanes.*

620. Heraclius à Persis multis cladibus attritus, cogitur cum Chagano Duce, pacem inire.

621. Heraclius in Persidem contra Cosrhoem movens, Chagano Duci Hungarorum scribit, eundemque ad pacem initam, fideliter conservandam hortatur, & in signum sinceræ amicitiæ, illi Urbis Regiæ negotia commendat, & Tutorem filij (quem Constantinopoli reliquerat) appellat. *Theophanes, Inchofer.*

625. Cosrhoës Persarum Rex, mutatâ fortunâ, iteratis vicibus ab Heraclio Imperatore victus, & extrema tentans, cum omnibus hostibus Imperij sœdus init adversus Heraclium, cum Chagano, Hungarorum Duce, de fide sollicitat Bulgaros, & Sclavos, eisdem svadet, ac etiam persvadet, ut Constantinopolim invadant, ac obsideant, quam illi obsidentes, acriter oppugnant, sed tandem Divæ Virginis ope, (cujus honori hæc Urbs dicata fuerat à Constantino Magno) plurimis suorum amissis, recedere coguntur. *Theophanes, Inchofer.*

626. Hungari hæc expeditione plurimum attriti, longo tempore sese in pace continent.

628. Sanctus Rupertus, Bojorum quidem Apostolus, sed non mediocriter de ipsis quoque Pannonijs bene meritus, quos identidem vilitans, eam Evangelij sementem fecit, quæ postea in uberem segetem excrevit, sanctissime obit, Juarix, quæ nunc Salisburgum dicitur. *Raderus in Bavaria Sancta, Inchofer.*

639. Floret Sanctus Emmeramnus, qui à pnero litteris sacris, & disciplina Christi eruditus, id consilij capit, ut totum se in gentium conversionem impendat, & præsertim, ut Hungaros gentem bellicosam, & tunc Religioni Christianæ maximè insensam, ad Fidem Christi convertat. *Inchofer, Raderus.*

649. Sanctus Emmeramnus in Pannoniam pergens, Reginoburgi in Boica à Regionis Principe Theodone, multis precibus, ut rem Christianam ibidem promoveat, detinetur, nec multò post ejusdem loci Episcopus constitutus, doctrinâ, virtute & exemplo inclarescit. *Inchofer, Raderus.*

652. Sanctus Emmeramnus postquam triennio Evangelium Christi in Boica prædicasset, multoque ad Fidem Orthodoxam adduxisset, raro Martirio

tyrio ex causa inusitatae Charitatis erga proximum suscepto, & tolerato, ad cœlestia præmia migrat. Eum, post acceptum Evangelium Hungari, ut Patronum, non unâ Basilicâ venerati sunt, quas inter, diu enituit, quæ singulari opere prope Quinque Ecclesias constructa erat; altera, quæ etiam num Nitriæ magnificè extructa cernitur, éstque Cathedralis illius Capituli Ecclesia.

663. Ariperto Longobardorum Regi defuncto, succedit Grimoaldus, vir bellicosus ac fortis, qui mox fœdus cum Chagano Duce Hunnorum, renovat, & confirmat.

664. Grimoaldus Rex Longobardorum, Avares sive Hungaros, ex Pannonia in Italiam, contra Lupum Ducem, Foro-Julij Ducatum sibi usurpantem, in subsidium evocat, & Foro-Julium occiso Lupo Duce feliciter reoccupat. *Paulus Diaconus lib. 5.*

669. Hunnos confecto bello Foro Juliensi, primò hoc anno, rogatu Grimoaldi, scribunt nonnulli rediisse in Pannoniam. *Blondus lib. 9. decad. 1.*

670. Interea mortuo Chagano Duce Hunnorum, diu res Hungariæ jacuerunt, Hunnis partim diversis bellis diminutis, partim Ducibus bellicosis destitutis.

678. Ex Chaba filio Attilæ, qui in Scythiam cum adhaerentibus sibi Hungaris, redierat, nascitur *Almus*, (is qui deinde cum sibi subjectis VII. Ducibus rursus in Pannoniam Hunnos ex Scythia eduxit) Patre Elendo genitus, quem inter, & Attilam duo alij intercesserunt, *Ed & Ugek*, hic Avus, ille Abavus *Almi*, sed quorum gesta obscura manserunt. *Inchofer*. Verùm *Bonfinius*, & Scriptores Annalium Hungaricorum, longiorem seriem Genealogiæ *Almi* seu *Alomi* recensent, Juxta quos *Almus* genitus est ex Elendo, Elendus ex *Vegeko*, *Vegekus* ex *Edo*, *Edus* ex *Chaba*, *Chaba* ex *Attila*, qui etiam memorant matrem *Almi*, cum gravida esset, aquilam è sublimi devolantem, per somnium, in gremio suo caput reclinantem vidisse, & mox ex utero fluvium erupisse, eumque quò longiùs per aliena loca flueret, eò majora augmenta sumere, longè latèque in alienos campos & fata exundare. Ex quo omine genitus infans *Alomi* (nam Hungaris *Alom* somnum significat) nomen tulit, eventùque postmodùm matris visum confirmavit.

737. Luithprandus Longobardorum Rex, ex eo, quòd Gregorius Papa Transmundum Ducem Spoletanum, suum hostem, ad se confugientem, reddere noluisse, advocatis Hungaris, qui adhuc in Pannonia supererant, Romam obsidet, & Basilicam Sancti Petri in Vaticano, temporibus illis extra mœnia positam, fœdè expilat. *Gregorius in Epistola ad Carolum Martellum*, *Inchofer*,

742. Luithrandus Rex Longobardorum, magnus amicus Hungarorum, quibus sicut profuit in multis, ita vicissim ab illis commoda percepit, in rebus non paucis, satis concedit. *Paulus Diaconus, Inchofer.*

743. Interea Hungari, qui in Scythia supererant, haud dubiò memores Chabæ Regis adhortationum, quas traditione acceperant. (Hic enim post mortem Patris sui Attilæ, ex Pannonia in Scythiam rediens, summis laudibus semper Pannoniam extollendo, instigare non cessabat Hungaros, usque ad finem vitæ, ut ubi viribus aucti fuerint, Pannonias rursus repetant). Sub Duce *Almo*, universi ex Scythia exire statuunt, & ad egressum unà cum uxoribus & prolibus, totâque eorum substantia, sese disponunt, mos namque apud Hungaros olim erat, ut cum res communitatem æquâ sorte tangentes occurrerent, aut generalis expeditio Exercitûs incumberet, mucro sanguinis aspergine tinctus, media Hunnorum per habitacula, castraque deferretur, & voce præconiâ, edictum hisce verbis promulgaretur. *Vox DEI, & præceptum communitatis universæ, ut unusquisque tali loco, ac tempore armatus, vel qualiter potest compareat: communitatis consilium simul & præceptum auditurus.* Sancitum insuper fuerat, ut transgressores hujus mandati, nisi rationabilem assignarent excusationem, cultro, media per viscera dividerentur, vel in perpetuam servitutem, ac rusticitatem redigerentur. *Thuroczius.*

744. *Alomus* itaque sive *Almus*, immensis auctus copijs, è Scythia egreditur, & superato Tanai fluvio, per Roxolanos, Sarmatas, Bescos, Chunos, aliasque gentes, iter faciens, sub septem Ducibus, divisio in totidem classes Exercitu, quâ quâ transit, loca omnia populòsque sulminis instar profert, ac tandem in Transylvaniæ regiones Pannoniæ finitimas penetrat; multi Siculorum qui extremam Daciæ partem, post mortem Attilæ occuparant, & hucusque tenuerant, audito cognatorum adventu, his in Roxolanos usque scribuntur occurrisse. *Bonfinius, Thuroczius.*

745. *Alomus*, cum alijs Septem Ducibus, in Transylvania tantisper subsistit, ac totidem in Castra & Exercitus distribuit, (exercitus porro singuli Triginta hominum millibus, & octingentis, quinquaginta septem, planè constabat) singulâque Castra, vallo ac fossâ altissimâ muniri jubet, unde & Regionis sumptum est nomen, ita, ut hodièque à Germanis regio illa *Sibenbûrgia* vocitetur. *Bonfinius, Thuroczius.*

746. *Alomus* magnâ parte copiarum versùs Pannoniam dimissâ, dum res Transylvanorum sive Dacorum incautè ordinat: ab iisdem occiditur. Quò auditò *Arpadus* filius, parte Exercitûs ex itinere reducta, mortem patris ulciscitur, eidemque consensu reliquorum Ducum succedit, cum quibus

præ-

præcipua quidem autoritate, pari tamen voto, & consilio rem administrat, mōxque pacatâ Daciâ, in Pannoniam Exercitum ducit. *Inchofer.*

747. *Arpadus* cum reliquis Ducibus, Pannoniam intrat, & ut hospes à Swatoplugo (quem alij Swatem appellant,) tunc in Pannonijs Principatum obtinente, benevolè suscipitur.

748. *Arpadus*, non jam ut hospes & advena, sed ut Pannoniæ possessor, à Swatoplugo Provinciam sibi dari, & tradi postulat, quod cum precibus non impetrat, armis Swatoplugum aggreditur, atque hunc, vim vi repellere conantem, prælio, in campo prope Danubium commisso, devincit, tanto successu, ut cæsis, profligatisque incolis, ipse Swates, ne in advenarum deveniret manus, desperatione actus, quia fugiendi locus non erat, in Danubium insilierit, mersusque fuerit. *Thuroczius.*

749. Septem Duces, Pannonias inter se partiuntur. Et sic primo Duci *Arpado*, utpote autoritate reliquos omnes excedente, & Albæ, vicinique ejusdem terræ tractus, obvenère. Secundo, dicto *Zabolcz*, ditio Transilvianica, cujus pars, nunc etiam Comitatus Zabolcensis nuncupatur. Tertio *Gyula* nomine, pars illa Transylvaniæ, in qua sita est Alba Julia, vel rectius Alba Gyula. Quartus *Kevad*, vel *Chundus*, ad amnem Nyir se cum suis collocavit. Quintus *Lehel*, sortitus est illas partes terræ, quæ Galgoczio & Vago adjacent, ubi etiam num Pyramis ejusdem sepulchralis visitur. Quamvis non desint, qui scribant hunc Ducem *Lehel*, in divisione Pannoniæ, cum socijs belli, Mœsiam superiorem, ejectis Bulgaris occupasse, & Hungariæ adjecisse, sed hoc fortassis ferius postmodum factum est. Sextus Dux *Verbuchus*, totam illam Regionem, quæ Balathonem lacum circumscribit, sibi vendicavit. Septimus denique Dux *Urs* cognomine, in Sejano, sive Sajo agro, & adjacentibus eidem partibus, substitit.

750. Hoc modo divisâ inter se Pannoniâ, à Septem Ducibus Hungaricis, sex annis quievère, donec in ditionibus nuper occupatis se firmarent, ac stabilirent, & arma, & equos meliorarent. *Thuroczius, Chronica Hungaria, capite 23.*

756. Itaque postquam de omnibus rebus ad expeditionem bellicam, sibi Hungari providissent, Moraviam, & Bohemiam repente invadunt, & crudeliter exspoliant, atque deinde cum victoria redeuntes, uno anno conquiescunt. *Idem Thuroczius. ibidem.*

758. Carinthiam, Styriam, atque Carnioliam deprædantur, rursusque tribus annis quiescunt. *Idem, ibidem.*

762. Bulgariam aggrediuntur, & ex ea thesaurum ingentem, ac arma innumerabilia abducunt. *Idem, ibidem.*

763. Për Forum Julij, usque ad ipsam Marchiam Longobardiæ intrant, omniâque in ea depopulantes, Paduam igne & gladio consumunt, & cum magna præda in Pannoniam redeunt, ac decem continuis annis in pace continent. *Idem, Ibidem cap. 24.*

768. Carolus Magnus, succedit Pipino Parenti in Regno Franciæ, quem inter & Hungaros, magna postmodum intercessere bella. *Rictius, Brietius.*

773. Novis animis ac viribus collectis, irruunt in Saxoniam, Lotharingiam, Sveviam, & Bavariam, Franconiam & Burgundiam, sed in reditu prædâ onusti, ab Alemanorum Exercitu sistuntur, & cæduntur. *Thuroczius loco citato.*

774. Carolus Magnus contra Saxones feliciter pugnat, ipsisque Hunnis magnum metum incutit. *Inchofer.*

777. Telericus Rex Bulgarorum, qui multoties adversus Constantinum Copronymum Orientis Imperatorem, feliciter pugnaverat, Christianæ Religionis amore, suos deserens, venit Constantinopolim, & sacrum Baptismum suscipit. Cujus fama plurimos Hungaros, ipsosque imprimis Duces, cum Arpado suspensos habet, circa gentilismum abjiciendum, & exemplo Telerici, Fidem Christianam amplectendam. *Brietius, Inchofer.*

782. Saxones vicibus iteratis Carolo rebellantes, demum hoc anno plenè debellantur, & ne ulterius rebellionem moliri possent, è patrijs sedibus evulsi, per varias regiones, jussu Caroli sparguntur. Quâ occasione credibile est, eos etiam in Hungariam & Transylvaniam devenisse.

787. *Tassilio* Bojoariæ Dux, impulsu uxoris, Desiderij Regis Longobardorum filix, à Francis Regno pulsi, cum Hungaris contra Carolum fœdus init, qui è Pannonia evocati, Augustam usque omnia terrore implent. Verùm convenientibus aliquot Principibus Germaniæ, in campis Lycijs cæduntur, plurimâque millia illorum, in Lycum fluvium acta, aquis merguntur. *Inchofer, Brietius.*

788. *Tassilio* Bojoariæ Duce devicto, & in Monasterium cum filio Theodone recluso, Carolus Selavis Danubium accolentibus bellum indicit, illudque feliciter, unâ duntaxat ætate conficit. *Bonsinius.*

789. Hungaros inter & Carolum, qui gloriâ magnorum facinorum, Magni nomen jam circumferebat, de confinij Regnorum ac ditionum, quibus discerni deberent, controversia, & inde diuturnum bellum oritur. *Bonsinius, Brietius, Ricciolus, Inchofer.*

791. Carolus comparatis validis copijs, bipartito Exercitu Pannoniam ingreditur, & usque ad fluenta Arabonis vulgò Raba pervenit, magnâque Hungarorum strage edita, victor revertitur. *Inchofer, Rheim.*

795. Vel juxta Gallicos Scriptores 796. *Theodo*, vel *Theado*, unus ex Ducibus Hungarorum, Legatos mittit ad Carolum, eidemque spondet, se cum suis Christianam Fidem suscepturum. *Inchofer*.

796. Pipinus Caroli filius, jussu Parentis, novam in Hungariam expeditionem suscipit, & Hungaris trans Tissam fluvium (hodie Tibiscum) fugatis, omnibusque opibus direptis, ad Patrem Aquisgrani tunc commorantem redit, & spolia regni, quæ secum detulit, eidem præsentat. Eodem anno, & *Theado* prænominatus Dux Hungarorum, Aquisgranum, ad Carolum Magnum advenit, ibique cum omnibus, qui secum venerant, baptizatur, & à Carolo honorificè excipitur, & remuneratur. *Inchofer*.

797. Ad hunc annum ponit Anonymus, & ex eodem Urspergensis, venisse in Saxoniam novos Legatos Hungarorum ad Carolum Magnum, magnis cum muneribus: eosdemque à Carolo libenter auditos & absolutos. Verùm utrùm Legati hi *Theodonis*, vel alterius Principis ex Pannonia fuerint, (tunc enim Hungaria à diversis Ducibus, seu Principibus gubernabatur) incertum ait esse. *Inchofer*.

798. Interim *Theado* nutat & in fide Christiana, & in fidelitate erga Carolum Magnum, ac tandem ab utraque deficit. *Inchofer*.

799. Hungari recenti *Theodonis* defectione animati, in Bojoariam, seu Bavariam magnâ manu irrumpunt. Ad primum tumultus hujus nuncium, occurrunt iisdem *Henricus* Foro Juliensium Dux, & *Geroldus* Bojoariæ Præfectus, à Carolo Magno, exauthorato Tassilione, huic Provinciæ Præpositus, ingensque prælium cum illis committunt, penes quos autem steterit victoria non constat, certum tamen est ipsum *Geroldum*, in hac pugna periisse. *Rhegius*, *Anonymus*, *Urspergensis*, *Inchofer*.

800. *Carolus Magnus*, à Leone III. Pontifice, Romæ in Basilica Sancti Petri, in Imperatorem coronatur, sicque Imperium Romanum, seu Occidentis, rursus restauratur. *Rhegius*, *Anonymus*, *Baronius*.

801. *Hungari*, accepto nuncio, de *Carolo* ad Imperium sublimato, suam ferociam, ab eo infringendam rati, tumultuantur, viresque omnes, ad se tuendum, contra *Caroli* conatus, intendunt. *Inchofer*.

802. Imprimis igitur Bulgarios, ac dein etiam Nicephorum, Orientis Imperatorem, in societatem armorum sollicitant, verùm ab hoc nihil impetrant, nam Nicephorus eodem hoc anno, pacem cum *Carolo* initam, confirmat. *Inchofer*.

802. *Carolus* jam Imperator Occidentis, adversus Hungaros, magno cum apparatu proficiscitur, & ubi Pannoniæ fines attingit, triduanum jejunium toti Exercitui, pro felici pugnae exitu edicit. Et primò DEI auxili-

Itum, ac dein Sanctorum, sed præsertim Sancti Martini intercessionem, simplex implorat, & re ipsâ etiam exorat. Hungari siquidem Duce *Chaba*, (qui votis omnium ad hoc bellum electus fuerat) in campo Sicambriæ, eisdem occurrentes, prælio gravi commisso, ab eodem ingenti plagâ afficiuntur, & vincuntur. Victis *Carolus* (qui non tam pro Regione, quàm pro Religione Catholica hoc bellum susceperat (hanc dat optionem: *Qui Christo nomen daturi sunt, liberi sunt, qui renuissent, ademptâ cum fortunâ libertate, vitam duntaxat, permittunt.*) Multi ne facultatibus ac libertate privarentur, Fidem Christianam susceperunt, pauci autem charitate verâ succensî. Porro reportatâ hâc victoriâ, *Carolus* Budam, sive Sicambriam, ad quam se *Chaba* Dux receperat, arctissimâ cingit obsidione, quæ & ipsa in potestatem Imperatoris, paucos intra dies concedit, eandemque renitente licet aliquantulum *Chabâ* Duce, *Carolus* Urbem ingressus, Regiam sibi deducit, ad extremum tamen deditioe accipit, ejusque ærarium, auro, argentoque, & alijs pretiosissimis rebus refertissimum, quas Hungari ex tot annorum deprædationibus plurimarum Provinciarum congesserant, subinde exspoliât, & partim in Ecclesias, partim in bene meritos distribuit, ipsum verò *Chabam* Ducem, in vincula conjicit, qui non expectatâ Imperatoris clementiâ) quam tamen liberalissimè, maximè supplicibus, sesèque subjiicientibus, largiebatur,) violentam manum sibi infert, ab Imperatore nihilominus splendidâ sepulturâ donatur. Deinde *Carolus*, templa Idolorum, *Martis* & *Herculis* quæ Sicambriæ extabant, demoliri jubet, in eorumque locum Templa Beatæ Virginis poni jubet. Demum *Chaganum*, ejusdem gentis virum eximium, ac in Baptismo Theodorum dictum, qui ad eum securitatis causâ se receperat, Sicambriæ, & Hungaris præficit, ipse verò rebus per Hungariam bene ordinatis & dispositis, in Germaniam revertitur. *Rhegin. in Chronolo. Bonfi. Inchofer.*

804. *Carolus Magnus*, quod antea per omnem Germaniam & Galliam fecerat, in Pannonijs quoque scholas instituit, quò facillior esset à primis Elementis, ingeniorum cum moribus ad Religionem Christianam traductio. *Inchofer.*

805. *Hungari* à Carolo Magno defectionem tentant, spreto *Chagano*, seu *Theodoro* Duce, quem illis *Carolus* præfecerat. Quare *Pipinum* filium, inde Italiæ Regem, adversus eos mittit, qui multis prælijs commissis, attritos tandem in officio retinet. Et aliquamdiu quidem Hungaris præest, sed dein à Parente revocatur, ad Italiæ Regnum moderandum, ac in locum illius, *Carolus* item *Caroli Magni* alter filius, in Hungariam mittitur. *Inchofer.*

806. *Hungari*, Carolo Juniore, novos tumultus excitant, paucorumque scelere

scelerè pacem perturbant. Itaque sæpiùs cum eo levioribus prælijs congressi, modò victi, modò victores fiunt, ultimatè tamen, uno prælio ferè debellati, florem juventutis Hungaricæ amittunt, sed & à Sclavis, Bohemis, eâ occasione, assiduis atrocinijs vexantur. *Inchofer.*

807. Non dum planè confecto bello in Pannonia Carolus Junior, à Carolo Imperatore, & Parente revocatur. Hungari porrò, non parùm adversà fortunâ fracti, ad Carolum Augustum Legationem mittunt, sanctiùs & certiùs fœdus culturi, simul & auxilia contra Slavos, adeoque & Bohemos, præcipuam Sclavorum nationem petunt, ac etiam impetrant. Idem ergo Carolus Junior, rursus à Cæsare in Pannoniam destinatur, eidemque ut Slavos coërceat, imponitur. Qui illuc profectus, non minori conatu, bellum pro Hungaris, quàm paulò ante contra illos suscipit, ac feliciter perficit. *Inchofer, Brietius, & alij Annales Francici, licet hi id biennio priùs scribant contigisse.*

808. Anterea *Chaganus* seu *Theodorus* Dux, ad Carolum Imperatorem proficiscitur, & Præfecturâ Hungariæ se abdicare conatur, locum unâ sibi dari postulat ad habitandum, in quo cum reliquis Religionis socijs, DEO, sibi que vacare liceret. Optione igitur sibi ab Imperatore datâ, eam partem Pannoniæ eligit *Chaganus*, quæ inter Caruntum, (cujus vestigia Viennâ Posonium euntibus, non longè à Castro Divæ Petronillæ olim dicato) & Sabariam interjacet. *Eginhardus, Inchofer.* Ubi postmodum quoad vixit, vitam quietam, & ex sanctitate institutam egit. Carolo Juniore interdum, rebus Hungarorum, non sine Optimatum gentis consilio, moderante.

809. Paucis admodum post mensibus, *Chaganus* seu *Theodorus* Dux, *Sabaria* diem extremum claudit. Succedit eidem *Chaganus* alter, filius, an consanguineus, non exprimitur, sed planè ejusdem animi, & zeli Religionis Christianæ, ac fidelitatis erga Cæsarem. Qui continuo ad Imperatorem de Optimatibus suis mittit, petens honorem, quem Pater suus habebat, sibi dari. Cujus præcibus Imperator assensum præbuit, & summam totius Regni eidem commisit. *Anonymus, Inchofer.*

810. Verùm non diu hâc dignitate *Chaganus* Junior frui potuit, nam hoc ipso anno, diem suum obiit, neque alius postmodum, ex eadem gente in tali necessitate successit, sed Hungaria in Provinciæ formam redacta est. Leges, Magistratúsque à Carolo Imperatore accepit, ac in aliquot ætates, Duces proprios habere desijt. *Inchofer, Anonymus.*

811. Hoc anno *Carolus*, Caroli Magni primogenitus, qui Pannonias ex institutione Parentis, hætenus summo Jure gubernavit, moritur. Neq; ullu

ullus quoad Carolus Imperavit, ex sanguine Regio Hungariæ præfuit, sed per Legatos, ex Optimatum sententia administrata est. *Inchofer, Eginhardus, Brietius.*

812. Non parùm Hungaris animi accedit ad novos tumultus eundos, auditò Nicephori Imperatoris Orientis, interitu, & Bulgarorum, cum quibus Hungaris conveniebat, insigni de eodem anno elapso reportatâ victoriâ. *Inchofer.*

813. *Crunus* Rex Bulgarorum, prope Adrianopolim, Exercitum Michaëlis Imperatoris Orientis, & Nicephori successoris profligat. *Cedrenus, Theophanes.* *Carolus Magnus*, Aquisgrani, convocatis Principibus, & Episcopis, Ludovicum Filium, saluberrimis consilijs instructum, sui in Imperio Successorem, & interim Collegam declarat. *Ricciolus, Brietius.*

814. *Carolus*, nomine & re Magnus, Aquisgrani obit, anno ætatis suæ septuagesimo secundo, Regni Francici XLVII. Imperij, XIV. Vir tam de Ecclesia, ac universa Christianitate, quàm etiam de gente Hungarica cuius bonum strenuè promovere pro viribus conatus semper fuerat, si quis Princeps alius, optimè meritis. Ludovicus auditâ Patris morte, ex Aquitania Aquisgranum venit, summòque omnium consensu, ac favore, eidem succedit. Ad quem ex Pannonia statim mittuntur Legati, quibus cum ille, de administratione Regni benignè agit, compromittens Electionem ex eorum gente, qui nomine Regio res Hungariæ administraret.

815. Defuncto Magnò Carolo, Hungari, Ludovicum, Italiæ ordinandæ intentum conspicati, occasione observant, quâ Regnum suum, ad pristinum statum revocare possent, ad arma dein respiciunt, & quò eventu bellum gesturi forent, deliberant. Ad cuius Executionem offert se *Lindentius*, in inferiori Pannonia, Nobilitatis primæ, plurimòsque ad se trahens, manifesta dat defectionis signa. Id quod cum intellexisset *Ludovicus*, maturè occurrendum ratus, Legiones suas ad eum compefcendum, mittit. *Inchofer.*

816. Interim in superiori Hungaria, quidam *Gadolans* nomine, pariter caput erigit, fitq; æmulatio inter defectionis Principes, mox etiam ferro, antequam adessent copiæ Ludovici, inter eos decertatur, & victus *Lindentius*, *Ludovici* quoque hostis efficitur, qui æquior *Gadolao*, tanquam è fide rem gerenti, Rerumq; Hungariæ administrationi adjungitur, æquatq; utrinque pacis conditionibus, quietus Reipublicæ status redditur.

817. *Ludovicus* Imperator, Bernardum nepotem, Regem Italiæ, adversum se conjurâsse accipiens, ex Gallia, Germania, & Hungaria, copias suas militares evocat.

818. *Ludovicus* Imperator, conjuratione patefactâ, ejûsque authoribus in potestatem redactis, omnes, etâ judicio Francorum, capitali sententiâ Aquisgrani damnati essent, luminibus tantùm jubet privari. Episcopos autem in eodem scelere deprehensos, synodaliter deponi, & partim monasterijs mancipari, partim proscribi. *Inchofer*. Adfuere hoc eodem anno *Ludovico*, missi à *Lindento* Duce inferioris Hungariæ, Legati, qui æmulum suum *Gadolaum*, crudelitatis & insolentiæ accusabant, interim autem ipse res novas moliebatur. *Anonymus, Inchofer*.

819. *Lindentus* in Hungaria, iterum rebellat, contra quem missus à *Ludovico* Exercitus, parùm prosperè rem gerit. Hinc *Lindentus* superbiâ elatus, Legatis missis, propositis quibusdam conditionibus, pacem simulatè petit, quas dum *Ludovicus* admittere abnuit, ille in perfidia obfirmatus, vicinas circumquaque gentes contra *Ludovicum* sollicitat, hunc tamen *Baldricus*, qui *Gadolo* febris extincto successerat, ad fluvium Dravum ducentem Exercitum, parvâ manu fundit, & è Provincia fugat. *Lindentus* interea in Dalmatiam evadit, collectôque rursus aliquo Exercitu, eandem igne & ferro vastat. Ad extremum verò gravi suorum damno facto, à *Borna* Dalmatiæ Duce, inde quoque excedere cogitur.

820. *Ludovicus* Aquisgrani Senatam habet, in quo de *Lindentis* Pannoniæ inferioris Ducis defectione deliberatum, decretumque est, ut tribus simul Exercitibus, sed diverso ingressu, Pannoniæ pars illi subjecta, invaderetur. Contra quos *Lindentus* nihil tum molitur, munitione duntaxat, in arduo monte excitata, se subque continet, nihil de bello, vel pace inferens. Exercitus interim à *Ludovico* missi, illatâ locis vastitate, nullo ab hoste passo damno, revertuntur, *Inchofer*.

821. Tres rursus Exercitus à *Ludovico*, contra *Lindentum* mittuntur, qui in Pannoniam ingressi, rebellium agros per vices vastant, sed neque sic *Lindentis* insolentia coerceri potuit.

822. Exercitus ex Italia, ad conficiendum contra *Lindentum* bellum in Pannonia, tertio mittitur, manebat tunc *Lindentus* Sisciæ, verùm neo ibi satis securum se fore judicans, Sisciâ relicta, ad Sorabos, qui tum Dalmatiæ partem obtinebant, confugit, missis tamen ad Exercitum Imperatoris Legatis suis, ad cujus præsentiam stituum se promittit.

823. *Lindentus* relicta Sorabis, in Dalmatiam, ad Lindemustum Avunculum Bornæ Ducis, se recipit, ubi aliquamdiu confidenter moratus, ab eodem Lindemusto, insidijs circumventus, interficitur.

824. Morte Lindenti, aliquamdiu Pannonia conquiescit. Hoc eodem anno, legitur editum Diploma illius, à *Ludovico* Pio, quod extat apud Lazium,

zium, in quo de adjectis suæ ditioni, & conversis à Carolo Magno, non paucis Hungaris, multisque Ecclesijs apud illos erectis, luculentum edit testimonium.

825. Neque tamen ab interitu Lindeuti prorsus sopita fuit Hungarorum defectio, sed lente spirabat in animis eorum, qui Lindeuti partes secuti erant, quæ cum non lateret *Ludovicum* Imperatorem, ejus jussu *Ludovicus* minor natus filius, quò propinquior, & proximior Hungaris esset, in Bavariam venit.

826. Bulgari advertentes plures Hungarorum Duces, ægrè sequi *Ludovici* partes, per medias Pannonias, in Dalmatiam, infesto agmine penetrant. Rem totam dissimulantibus ijs, quos *Ludovicus* Hungariæ præfecerat.

827. Iidem Bulgari, eam partem Pannoniæ, quam Slavi ad Dravum fluvium insidebant, invadunt, & expulsis Officialibus *Ludovici*, Bulgaricos Præfectos constituunt. Ab hinc Hungaria pace fruitur, usque ad mortem Pij Imperatoris *Ludovici*, qui suâ pietate & vigilantia id effecit, ut Hungaros non solum pacatos, sed & ad sua jussa paratos haberet, etsi Præfectorum injuriâ non parùm lacesitos. Mortuus autem est piè ac sanctè, *Ludovicus*, Anno 840. die primâ Mensis Julij:

841. Defuncto *Ludovico Pio* Imperatore, Civile bellum conflatur, inter ejus filios, *Lotharium*, *Ludovicum*, & *Carolum*, prælioque commisso, vincitur *Lotharius*, & nomen victoriæ apud *Carolum*, *Ludovicum*que manet. Interfuere huic pugnae non pauci Hungari, atque etiam desiderati sunt; manentibus interea suspensis reliquorum animis, eventum discordiæ tantæ, inter fratres Principes, præstolantibus.

842. Renovatur rursus inter Fratres Principes bellum, exin verò induciæ factæ in annum, & delecti utrinque quadrageni Proceres, quorum fide prudentiæque pax firma ac secunda componeretur. Igitur conventum est, ut *Carolus Rex* Franciæ diceretur, *Ludovico* Germania, & Hungaria cederet, reliquæ opes, Italia, ac Imperium penes *Lotharium* forent. *Paulus Amilius*, *Nichardus*, *illius temporis Historicus*, & *Caroli Magni Nepos*.

843. Confectâ hâc ratione pace, Hungari hanc dissensionem, & distractionem virium inter Fratres Principes, suam occasionem rati, diu noctuque laborant, quibus modis se in pristinam libertatem reponant; nihil tamen apertè attentant, sed ab eventu rerum consilia sua moderantur. *Inchofer*.

844. Addit ad hos conatus Hungaris animum, inopina *Bernardi Ducis* *Barcinensis* cædes, hoc anno à *Carolo Rege* Franciæ patrata, ob quam Reges *Confangvineos* ac Fratres in bello ciendos, haud dubiò rebantur, adeoque

adeoque abstracto à Noricis Ludovico, Præfectos Pannoniæ facilè opprimendos: Carolus siquidem hæc cæde Regnorum quietem turbâsse credebatur, præsertim cum Wilhelmus, filius Bernardi Ducis, excelsi animi juvenis, Patris mortem ulturus, *Habdaraghamo* Saracenorum Principi adhæssisset, ejusque auxilijs omnia misceret. *Brietius, Inchofer.*

845. Hoc anno Nortmanni in Gallias irrumpunt, easque foedè vastant ac depopulantur, in hoc tamen etiam rerum statu, Ludovicus se in Germania continet, contra atque Hungari cogitassent, & ne quid turbarum in Hungaria oriretur, prudenter providet. *Inchofer.*

846. Northmanni, prioris anni strage non contenti, Urbem Turonensem in Gallia, ubi Sancti Martini Pannonij corpus in veneratione habebatur, obsidione cingunt. Incolæ loci, nec à Carolo suo Rege, nec à Ludovico fratre illius succursum sperantes, ad Divi Martini Patroni sui opem confugiunt, nec mora, piè levatum ejus Corpus, ad locum, in quo violentior belli impetus furebat, deferunt. Et subito Northmanni fugiunt, quos Turonenses persequentes, partim cædunt, partim capiunt, præter nonnullos, qui subsidio fugæ dilapsi sunt. Saraceni Africani, ingenti comparatâ classe, Romam ex improvviso aggrediuntur, & Basilicam Sancti Petri, omnibus suis ornamentis, atque divitijs spoliant.

847. & 848. Sergio Papæ defuncto, succedit Leo IV. qui mox novam Civitatem, (Leoninam dictam, condit, ac Basilicam Sancti Petri, quæ tunc extra mœnia Urbis sita erat) mœnibus includit, ne ea deinceps Saracenorum & grassatorum pateret excursionibus. Lothario quoque & ejusdem Fratribus, ad hoc opus, pecuniam subministrantibus. *Brietius, Inchofer.*

849. Saraceni Africani, novâ instauratâ classe, Romam denuò diripere cogitant, sed ad portum Romanum, à classe Neapolitana, malè multantur: deinde divinitus vehemens ventus repente coortus, classem infidelium disjicit, plures fluctibus haurit, non pauci emergentes, partim patibulis suspenduntur, partim capti, ad operas Basilicæ Principis Apostolorum, quam ante triennium deprædati fuerant, mancipantur, & servitijs cœmentariorum addicuntur. Quod ubi innotuit Hungaris, saniora consilia cœperunt, considerantes, Saracenos, qui alioqui omnem Christianorum Principum vim superare posse judicabantur, tam turpiter, nec semel, nec in uno loco fusos esse. *Anastasius, Baronius, Brietius.*

850. Northmanni, Caroli Regis Franciæ ditiones denuò invadunt, qui proinde in auxilium Lotharium Imperatorem fratrem evocat, interim mutato consilio, cum ipsdem paciscitur, partem Neustriæ, quæ deinceps dicta est Northmannia, ipsdem ad habitandum concedendo, quod graviter fert Lotharius, atq;

sic re infectâ regreditur : Interim & Ludovicus alter frater , à Bohemis magnam accipit cladem. Hungari tamen nec hâc vice , ad excutiendum Ludovici dominatum , quidquam moverunt , quod sanè divinâ providentiâ est factum , & Ludovici attentione , atque svavi modo agendi , in eorum gubernatione. *Sigibertus , Ricciolus , Brietius , Inchofer.*

851. *Ludovicus* Lotharij Filius admodùm adolescens , jussu Parentis Lotharij Imperatoris , venit in Italiam adversus Saracenos , de iisque gloriose triumphat , unde redux , à patre cum plausu excipitur , & Hungariæ præficiendus ab eodem judicatur. *Leo Ostiensis , Inchofer.*

852. *Leo IV.* Urbem novam perficit , ac de suo nomine Leoninam dicit. *Carolus II.* cognomento *Calvus* , *Caroli Magni* Filius , & *Franciæ Rex* , nepotes suos *Pipinum* , & *Carolum* , in Regno suo , ob hæreditatem tumultuantes , capit , ac in monasterium relegat , ac trudit.

853. *Northmanni* *Turonicam* Civitatem occupant , *Ecclesiamque Sancti Martini Pannonij* , succendunt , sed antea ex eo elatum erat *Sancti Martini* corpus , *Aurelias* primò , deinde *Antisiodorum* translatum , utrobique miraculis coruscans , inde postmodùm in pristinum locum reductum. *Oddo Cluniacensis , Ricciolus.*

854. Ut ponit *Brietius* , vel 855 , ut alij volunt *Chronologi* , *Leo IV.* Pontifex , optimus vir , & sanctissimus , postquam *Ludovicum* Regem , qui se inviserat , à se dimisisset , non post multos dies , piè in Domino obdormivit.

855. *Lotharius* Imperator , convocatis Proceribus , iisdem valedicens , deponit Imperium , & diviso Regno inter filios , *Ludovico* tradidit Italiam , cum titulo Imperatoris ; *Lothario* , ditionem , quam in *Francia* possidebat , (exceptis illis partibus Regni , quæ *Carolo Fratri* in divisione obvenerant) ipse verò fit *Monachus* in monasterio *Prumiacensi* *Lotharingiæ* , quam à suo nomine dici voluit. *Rhegino , Ricciolus , Inchofer.*

856. *Rex Lazorum* , orationis & devotionis causâ , venit *Romam* , ad limina *Apostolorum* , plura etiam asserens dona , ut scribit *Anastasius* , & post eum *Inchofer* , & *Ricciolus*. Quisnam autem fuerit *Rex iste Lazorum* , variant *Authores*. *Inchofer* existimat eum fuisse *Regem* illorum *Hunno-*rum , quibus pariter ex *Scythia* oriundis , & sub *Justiniano* Imperatore concesserat. Quæ *Regio* defactò etiam extat , èstque pars *Colchidis* , versus *Phasim* fluvium , inter *Pontum Euxinum* , *Moschicos* montes , & *Caucasum* , ejusque populi etiamnum dicuntur *Lazi* , & à *Turcis* vocantur *Curti* , ut testatur *Bandrang* in nova sua *Geographia*. Unde suspicari licet , an non hæc

hæc ipsa Regio sit illa, quam Moschi *Uhriam* vocant, & ex ea prodijisse Hungaros, qui occuparunt Daciam, & Pannonias, gloriantur, cum tamen hæc Regio potius dicta sit ab *Uhris*, (sic enim Moschi suâ lingvâ Hungaros vocant,) ex Scythia prodeuntibus, & tractum illum terræ occupantibus.

857. *Carolus Calvus*, Franciæ Rex, In Comitijs ad Sanctum *Quintium* habitis, cum Fratruelibus *Lotharij* Imperatoris filijs, *Ludovico*, & *Carolo*, ac cum *Ludovico Germaniæ Rege*, & *Pannoniæ possessore*, concordiam firmat. *Annales Francici*, *Brietius*, *Ricciolus*.

858. *Ludovicus Germaniæ Rex*, & *Pannoniorum possessor*, ad componendas factiones & turbas, evocatur in Galliam, quò is valido pergit Exercitu, sed cum ad Regnum componendum animum adjecisset, illic hymaturus, insperatè auditâ *Soraborum*, seu *Slavorum*, qui terras versùs *Album* & *Faium* fluvios incolebant, contra se rebellione, ad propria reverti cogitur. *Vetus Chronicon Francorum*, *Brietius*, *Inchofer*. Ne quid autem turbulenti Hungari hæc occasione moverent, cum non paucæ *Soraborum*, seu *Slavorum* reliquiæ inter eos essent; effecit *Ludovici* benevolentia, aut etiam fortassis paucorum studia, qui jam Religioni Christianæ favebant, & pacem amabant, ac singularis DEI providentia.

859. Ad hunc annum meminit *Sigibertus* *Ludovicum* plurima contra *Slavos*, (vel rectiùs *Sorabos rebelles*) prælia strenuè gessisse, & capto eorum Principe *Rastrich*, ob violatam fidem, oculos eidem erui jussisse.

860. Hoc anno, in *Confluento Castello*, factus est *Conventus Episcoporum*, *Abbatum*, & *Procerum*, in quo rursus sancita est inter *Frates Reges*, nempe *Carolum* & *Ludovicum*, fratres; nepotésque ipsorum, *Lotharium*, *Ludovicum*, & *Carolum*, mutua concordia, quam tamen *Carolus Rex Franciæ*, paulò post violavit.

861. *Scythæ*, per mare *Euxinum* progressi, usque ad *Insulas Byzantio* adjacentes perveniunt, omnia loca sacra & profana devastando, quorum fama in *Pannoniam* perlata, fomitem addidit erupturæ mox flammæ, quam discordia Fratrum Regum, paulatim excitabat. *Inchofer*.

862. *Nicolaus Papa*, ad *Sablonarias Concilium* cogit, *Francorum Regibus Ludovico* & *Carolo*, nec non *Lothario*, inter se discordibus, adesse jussis. Cogit & *Lotharius Aquisgrani* *Conventum suorum Episcoporum*, in causa divortij legitimæ suæ *Uxoris*, cui superinducere *Waldradam* pellicem intendebat. Sed & aliam idem *Nicolaus Papa* *Synodum Metis* indicit, in eadem causa *Lotharij*, missis *Româ Legatis*, qui eam moderarentur. *Inchofer*, *Ricciolus*.

863. *Nicolaus Papa*, *Metensem Synodum* abrogat, & *Episcopos ini-*

quæ sententiæ, in favorem Lotharij authores damnat. *Annales Francici.*

864. Idem Nicolaus Papa, causam Lotharij Regis, de dimissa uxore legitima & pellice in conjugem accepta, definiturus, Synodum Romæ parat, sed eam Regis fratres, aliàs inter se dissidentes, impediunt.

865. Idem Nicolaus Pontifex, Lotharium adigit, ad Thierbergam Reginam repudiatam recipiendam, & pellicem superinductam repudiandam, mittit præterea Legatos in Franciam, ad Ludovicum Regem, & Carolum Fratrem ejus, nec non Lotharium Nepotem eorum, ad pacem & concordiam inter eos renovandam. Interim cum non esset, qui Hungaros in officio retineret, (hactenus enim à morte Lotharij, benevolentia duntaxat Ludovici, eos utcunque remorabatur) meditatum diù bellum, signis explicant, ad quod non minimam occasionem ijs præbuerat ipse Ludovicus, quòd ad Caroli Fratris Regnum sibi occupandum, cum Exercitu ingressus in Gallias, Germaniam copiis privavit: ut non facile esset, qui Hungaris, si libuisset, aciem educantibus, resistere posset. *Inchofer.*

866. Dum *Hungari* bellum contra Christianitatem parant, Michaël Rex Bulgarorum, cum Nicolao Papa, de modo convertendi reliquos Bulgarios ad Christum, seriò agit. Moritur *Hardericus* Archi-Episcopus Laureacensis, Apostolicæ Sedis per Moraviam & Pannoniam Legatus. Saraceni Africani, Italiam circa Beneventum invadunt, contra quos Ludovicus Imperator, cum ingenti Exercitu movet, atque sic de reprimendo motu Hungarorum, impeditur. *Inchofer, Brietius.*

867. Ludovicus Imperator de Saracenis, Civitate Bari receptâ, & Principe eorum capto, insignem victoriam reportat. *Leo Ostiensis.*

868. Ludovicus Rex Germaniæ, & Pannoniæ, occupato Ludovico Fratruale Imperatore, in Expeditione contra Saracenos, nequit motos tumultus in Hungaria componere.

869. Lotharius Rex moritur, ejusdem Regnum Ludovicus Imperator, legitimâ successione, tanquam Frater prætendit, sed Proceres Regni, id Carolo Calvo, Lotharij Patruo, deferunt.

870. Ludovicus Germaniæ Rex, minis intentatis Carolo, qui Regnum Lotharij invaserat, ab eodem in Regni consortium adsciscitur.

871. Ludovicus Imperator, Romæ, ab Hadriano Pontifice, coronatur novo titulo, tanquam legitimus Lotharij fratris successor, in Regno. *Anoimus.*

872. Ludovicus Imperator circumventus ab *Aldegiso* Duce Beneventano, ex insidijs capitur, & in carcerem detrusus, in pacta ab ipso proposita jurare cogitur. *Rhegino, Leo Ostiensis.*

873. Ludovicus Imperator, in Conventu Romano, à Pontifice absolvitur à præmentionato juramento, quod coactus fecerat, & *Aldegisus* hostis Reipublicæ declaratur.

874. Joannes Papa, Ludovicus Imperator, & Ludovicus Rex Germaniæ, Veronam conveniunt, de Republica Christiana promovenda deliberaturi.

875. Ludovicus Imperator moritur, eo defuncto, *Carolus Calvus* invadit Italiam. E contra, Ludovicus Rex Germaniæ *Caroli Calvi* Regnum deprædatur, & Carolomannum Filium mittit cum Exercitu in Franciam, ut sic Carolus cogeretur deserere Italiam, sed hunc Carolus spe munerum deludit, & Romanos pecuniâ corrumpit, adeò, ut Joannes Pontifex adactus fuerit eum coronare in Imperatorem. *Rhegino, Anonimus, Ajmonius.*

876. *Ludovicus* Rex Germaniæ, & Pannoniæ Possessor, obit Francofurti, post quem nullus amplius, ex Caroli Magni Familia Pannoniam possedit. Cujus Regnum *Carolus* Imperator, statim invadens cum magno Exercitu, recusansque pacis conditiones, cum Ludovico defuncti filio, ab hoc vincitur, & fugatur, divinitus in Caroli Exercitum immisso terrore. *Ajmonius.*

877. *Joannes* Papa, iteratò à Carolo Imperatore, contra Saracenos Italiam infestantes, auxilium implorat, ac etiam impetrat. Carolomanus falso nuncio de ingenti Exercitu Pontificis & Imperatoris, per eandem viam, quâ venerat, fugit ex Italia. *Ajmonius, Ricciolus.* Eodem anno moritur Carolus Imperator. *Rhegino.*

878. Carolo in Imperio succedit Ludovicus Filius, non diu & ipse gubernaturus. Septimo siquidem Imperij mense decimâ Aprilis, in die Parasceves vitâ fungitur 879.

Quo eodem anno Sanctus Methodius, Moraviæ, & Pannoniorum Apostolus, accusatur Joanni Pontifici, quod circa ritum celebrandi Missas, non ad amissim, cum Romanis corresponderet, sed eandem lingvâ Slavonicâ, cantari sineret. Effecit interea quoque id Methodij Sanctitas, quâ apud Pannonios plurimum valuit, ne Hungari turbatis tunc vicinis Regionibus, easdem invaderent, ac vastarent.

880. Sanctus Methodius evocatus à Joanne Papa, Romam venit, doctrinæ suæ rationem redditurus, à quo auditus, non solum probatus, & absolutus est, verum etiam & Sventopulchro Moravorum Principi eximia cum laude commendatus, additò eidem etiam Presbytero Wichino, quem Joannes in Episcopum Nitriensem consecravit, & Methodio Archi-Episcopo subesse jussit. *Inchofer.*

881. Hoc anno *Carolus Crassus*, Ludovici Regis Germaniæ Filius, ex Germania egressus, brevi tempore totam Italiam occupat, Romamque veniens, à Joanne Pontifice, & Senatu Romano honorificè excipitur, ac tandem in die Natalis Domini, Imperator coronatur, *Rhegino, Aimoinus.*

882. & 883. Moritur Ludovicus Germaniæ Rex, *Carolus Crassus*: ejusdem Filius, & jam Imperator, contra Northmannos Gallias depopulantes, ex Italia, in Galliam cum Exercitu properat, cum isdemque pacem init, aut potius eam ab illis emit, oblatâ pecuniâ, datâque. *Frisingensis.*

884. & 885. Carolo Imperatore in Gallijs cum Northmannis agente, Sacerani in Italia, Campaniam sibi vicinam, magnâ clade afficiunt. *Carolomanus* Rex moritur, eique succedit *Ludovicus Ignavus* dictus. *Brietius, Aimoinus.*

886. Mortuo Rege Carolomano, *Carolus* Imperator, in Hungariam quoque Jus suum præterdit, sed Hungari longè absentis Imperium, tanquam nullum dissimulant, aut planè contemnant. *Inchofer.*

887. *Carolus* Imperator, sæpè adversâ fortunâ usus, hoc anno Imperio se abdicat. sive spontè, ut scribit *Vrspergensis*; sive coactus, ut tradit *Frisingensis*. Quâ occasione Hungari majores assumunt animos, non solum se contra impeditores tuendi, sed etiam vicinas Provincias infestandi. *Inchofer.* Hoc eodem anno, Corpus Sancti Martini Pannonij, Antisiodoro ex Burgundia, quo ante triginta & unum annos, metu Nortmannorum translatum fuerat, revehitur Turonium, quam plurimis miraculis in itinere coruscans.

888. *Carolus* Imperator, non multò postquam Imperio exutus fuisset, moritur. Tum Imperium multis modis scinditur. Singulis Provincijs singulos Reges creare cupientibus. *Arnulpho* tamen pars maxima ditiorum cessit. Ita in Italia *Berengarius* Dux Foro-Julienensis electus est Rex Italiæ. *Guido*, *Lamberti* Ducis Spoletani filius, nomen Imperatoris assumpsit. In Francia *Odo* Comes Parisiensis, titulum Regis sibi usurpavit, etsi viveret *Carolus* simplex legitimus hæres, *Rudolphus* item *Conradi* filius, Rex voluit appellari. *Arnulphus*, *Carolomani* filius, Germaniæ Rex fuit salutat. Hinc orta tot bella, tantæ devastationes Provinciarum, & totius Imperij occidentalis perturbatio.

889. Cùm igitur *Arnulpho* Regi, pars maxima in divisione Regni obtigisset, ita, ut *Bavaris*, *Svecis*, *Francis* Orientalibus, *Lotharingis*, *Saxonibus*que Jus diceret, ac *Zwentebaldum* quoque *Moravorum* Ducem sibi subicere vellet, isque viriliter repugnaret. nullâve potentiâ se in ordinem redigi pateretur. Eapropter *Arnulphus* Hungaros sponte suâ, in omnem occasionem intentos, adsciscit, eorumque operâ *Zwentebaldum* devincit, Regnòque ejusdem potitur. *Inchofer, Brietius.*

890. Bello hoc feliciter confecto Hungari, ab *Arnulpho* Imperatore stipendia sibi promissa urgent, quæ si obtinuissent: ijs contenti, pedem ad sua retulissent. Sed cum is solvendo in præsentem non esset, promissis tandem efficit, ut Patriam repeterent, certum diem exolutionis expectantes. Qui cum adesset, neque tamen *Arnulphus* suis promissis stare: Hungari, fraudatos se querentes, in Germaniam Exercitum suum ducunt, omniâque usque in Frisiam depopulantur. Mox & Galliam, & Italiam adoriuntur, ferro & igne cuncta vastantes, arreptaque hæc occasione negati stipendij, non solum ab *Arnulpho* apertè deficient, sed etiam bellum apertum, magna cum contentione eidem inferunt. *Rhegino, Brietius, Inchofer.*

891. Dum Hungaria tumultuatur, Northmanni Germaniam invadunt, jamque victoriâ insolentes, cum *Arnulpho*, de summa rei prælium inire audent, quos tamen *Arnulphus*, divinitus uti creditur, in tantum profligat, ut ne nuncius quidem cladis superesset. *Rhegino, Marianus Scotus.*

892. Northmanni, qui superioris anni cladi non interfuerunt, collectis viribus, iterum Germaniæ Ecclesias affligunt, vires suas conjunctioni cum Hungaris, si possint. *Inchofer.*

893. Verùm conjunctionem hanc duarum potentissimarum Nationum impedit, Leo Imperator Orientis. Hic enim bellum contra Bulgares moturus, Hungaros adversus eosdem concitavit, sicque eos Bulgario bello implicuit.

894. *Zwendealdus* Dux Moraviæ, qui hætenus pro mortuo habebatur, omnibus existimantibus, quasi in pugna cum *Arnulpho* Rege inita, occubisset: Hoc anno in Eremitio, vitam privatam & sanctam ducens, sanctè moritur. Quò auditò *Arnulphus*, Moraviam filio ejusdem Swatocopio, tanquam ex Sorore sua nato, possidendam relinquit. *Cromerus, Rhegino, Inchofer.*

895. Swatocopius Sanctum Methodium, Moraviæ, & Pannoniæ Episcopum impiè persequitur, & ex suis ditionibus (quas inter fuit etiam magna pars Pannoniæ) exesse compellit. *Inchofer.*

896. *Arnulphus* Germaniæ Rex, invitatus à Formoso Papa Romam, de hostibus illius vindictam sumit, & ab eodem in Imperatorem Romanorum coronatur.

897. *Arnulphus* Imperator, ut etiam Pannoniæ consuleret, Wichindo olim Nitriensi Episcopo, Civitatem Pataviensem, nunc Passaviensem donat, & illius loci Episcopum constitui curat. *Inchofer.*

898. Mortuo hoc anno Swatocopio, Regnum Moraviæ discerpitur: partem enim illius Germani & Bohemi, partem Poloni, atque Hungari quoque sibi vendicant,

899. *Arnulphus* Imperator, multis malis in vita confictatus miserimâ quoque morte extingvitur. Atque sic à Carolo Magno qui Hungariam sibi subegerat, integrò ferè sæculò, per illum ejúsque posteros, utcunque Hungari fuère coërciti. At post mortem Arnulphi, frænum sibi abstractum animadvertentes, avitæque libertatis amantes, rursus ad ingenium redeunt, consvetásque depopulationes, & devastationes vicinarum Regionum resumunt, uti sequentis sæculi ostendet historia.

900. Arnulpho in Regno Germaniæ, succedit *Ludovicus* Filius, ad quem & Hungaria Jure Paterno spectabat: Interim de Imperiali dignitate obtinenda, atrox Bellum inter Berengarium, & Ludovicum Bosonis Flium, exoritur. Hungari hanc dissensionem Principum, occasionem suam rati, præsertim cùm Berengarium, Regi *Ludovico* etiam graviter offensum scient, arma resumunt, prælióque ad Augustam cum *Ludovico* Rege congressi, Exercitum ejus ad interneccionem profligant. Inde Svevorum ac Francorum, deinde Saxonum ac Bavarorum fines, rapinis atque incendijs pervastant. Et quæ pridem parturiebant Orbi mala, hoc demum anno parere incipiunt. *Inchofer*.

901. Hungari nuperis successibus elati, hoc anno ad Italiam quoque invadendam, animum adjiciunt, finésque Venetorum ingressi, ad *Brentam*, agri Patavini æmnem Castra figunt: mox tamen paucitati suorum diffisi, motis Castris domum revertuntur, totámque hyemem in apparatu armorum, & exercitatione militum ponunt.

902. Exactâ hyeme, imò jam adultâ æstate, copijs suis auctis, rursus in Italiam redeunt, totámque Regionem transpaduanam vastant, flammis miscentes omnia, quibus occurrens cum innumeris copijs Berengarius, ab ipsdem turpissime profligatur. Victoriâ tam insperatâ, ut eam victores ipsi mirarentur, qui eodem mox impetu, & *Tarvisium*, & *Vincentiam*, & *Patavium* diripiunt.

903. Hungari fortunam secuti, hoc anno Venetos aggrediuntur, complurésque eorum Civitates evertunt, ac deprædantur. Inde à Duce Petro navalibus copijs acriter insistente repulsi, sese ad mediterranea effundunt, atque ad Appeninum usque populando progressi, obvia omnia, quæ munita non erant loca, vastant, ac tandem acceptâ à Berengario ingenti pecuniæ summâ, promittentes se in Italiam non ampliùs redituros, in *Pannoniam* spolijs onusti revertuntur.

904. Continent se hoc anno Hungari in *Pannonia*, ut partis prioris anno, per otium, & sine periculo, tranquillè fruerentur.

905. *Ludovicus* Imperator Bosonis Filius, à Berengario captus, & oculis

oculis privatus, cum ultionem de Berengario, evocatis in hanc rem Hungaris moliretur, mœrore conficitur. Quò vitâ functò, Hungari, auxilia, quæ in ejus subsidium paraverant, in Ludovicum Germaniæ Regem convertunt, eumque inopinatè obruunt. *Sigibertus, Inchofer.*

906. Hungari novâ prædandi cupiditate, novis populationibus Italiam infestant, neque eis multum adversatur Berengarius, propter suorum, æmulo suo Lamberto faventium, perfidiam.

907. Hungari suæ fortunæ præidentes, in Bavariam hoc anno irruunt, cum quibus congressi Bavari, multâ cæde cadunt. *Anonymus, Inchofer.*

908. Deinde paulisper conquiescunt. Mox anno :

909. Galliæ fines incurstant, populòsque eorum, ac urbes, igne, gladio, excidio, foedè devastant. Anno verò :

910. Frances in confinio Bojariæ & Franciæ, secum congregati, fugant, & magnâ clade profligant. *Anonymus post Reginonem.*

911. Leo Philosophus, Orientis Imperator, ex hac vita decedit, postquam viginti quinque annis imperasset. Amabant Leonem omnes exteræ nationes, sed Hungari præsertim, magnâ reverentiâ eum prosequuntur, libenter ab eo Leges, & Religionem accepturi, si res, & tempora tulissent. *Zonaras, Inchofer.*

912. Perturbato Imperio, per mortem Ludovici Regis Germaniæ, Hungari, nullo resistente, Franconiam devastant. *Sigibertus, Anonymus.*

913. Hungari rursus partes Alemaniarum vastant, sed à Bavaris, & Alemanis, juxta Oenum fluvium cæduntur. *Anonymus post Reginonem, Inchofer.*

914. Hungari hoc anno, adversus Conradum Germaniæ Regem, prælio cruento decertant, sed ancipiti Marte; mox domum reversi, eò quòd Conradus collectis Germaniæ viribus, fortior ijs restitisset. *Inchofer.*

915. In hunc annum conjiciunt quidam, immanem illam persecutionem, quâ Slavi & Hungari Saxonicas vastabant Ecclesias, ac Hungaris quidem tribuitur Bremensis Ecclesiæ excidium, Slavibus verò Hamburgensis Sacræ Ædis desolatio. Sed hæc biennio priùs contigisse, notat *Krantzius.*

916. Hungari Fuldam usque Excursionem continuant. *Anonymus, Sigibertus.*

927. His non contenti, hoc anno Lotharingiam ac Franciam, polijs earum Provinciarum inescati, deprædantur. Ast anno :

918. Basilæam Urbem evertunt, ac expoliant. *Marianus.*

919. Obijt hoc anno Conradus Germaniæ Rex, ditione suâ in Henricum Saxoniam Ducem translata, cui postea multa cum Hungaris intercesserunt bella. *Anonymus, Lambertus, & alij Historici.*

920. Henricus Germaniæ & Saxoniam Rex constitutus, à Carolo Rege Francorum, manum pretiosi Martyris Donyfij, auro gemmisque inclusam, dono accipit, ope cujus, is postea gloriosas de Hungaris reportavit victorias. *Witichindus, hujus temporis Scriptor.*

921. Dum Henricus stabiliendæ paci studet, & reprimendæ Slavorum sævitiam insinit, Hungari iterum effusi, vel potius necdum ad sua reversi, continuatis cladibus, diversas Alemanniæ populantur Provincias. *Inchofer.*

922. Evocantur interim à Berengario Hungari in Italiam, relicta proinde Alemanniâ, in Burgundiam irruunt, eamque devastant. *Frodoardus.*

923. Henricus Germaniæ Rex, pacem cum Hungaris ad novem annos firmat, quam tamen hi, non multò post violant. *Sigibertus.*

924. Hungari, ductu Berengarij, quem Longobardi pepulerant, Italiam intrant, eamque igne, ferroque vastant. Papiam quoque Urbem populosissimam, atque opulentissimam igne succendunt. Verùm Berengarius à suis cæsus, meritas pœnas luit. *Luitprandus, Frodoardus.*

925. Mortuo Berengario, Hungari, non aliter, quàm ingenti priùs pretio ab incolis persolutò, Italiâ excedunt. Inde per abrupta Alpium juga transeuntes, Anno :

926. In Galliam veniunt, quos *Rudolphus* Cis-Alpinæ Galliæ Rex, & *Hugo Viennensis*, inter angustias collium Alpinorum claudunt, plurimosque ex ijs sternunt. Ast reliqui, per devia montium evadentes, priùs *Alsaciam*, ac dein etiam Alemanniâ, contra inducias cum Henrico, ante triennium initas depopulantur, sicque in Pannoniam redeunt. *Anonymus, Rhegino, & Hermannus.*

927. Hungari, quò hòc anno bellum vertant, inter se disceptant, quibusdam Germaniam & Italiam svadentibus, alijs contra Græcorum Imperatorem ducendum, aut certè ejus auspicijs, si roget, contra Bulgaros, Constantinopolitanæ Urbi infestos, bellandum contententibus. *Inchofer.*

929. Pars igitur Hungarorum una, Simeoni Hungarorum Regi se conjungit, qui mox gravissima Constantinopolis suburbijis infert damna, donec pace redemptâ muneribus, reverteretur ad propria. *Curopolates.*

929. & 930. Henricus Germaniæ Rex, ubique insignes reportat victorias, profertque Regnum in exteris quoque Nationes, eas tributarias sibi reddens. Cujus proinde metu, Hungari quoque suis continent se finibus. Ast anno :

931. Ulteriore[m] moram ferre non valentes, rursus per Italiam grafsantur, ac in reditu Germaniam quoque populantur. Verùm ab Henrici Exercitu excepti, conferto prælio, magnâ clade afficiuntur. *Hermannus*.

932. Paulisper hoc anno conqueſcunt, Aſt anno:

933. Iterum Franconiam Orientalem, multis Civitatibus, igne & gladio conſumptis, percurrunt, & *Rhenum* juxta Vornatiam tranſeuntes, Galliam uſque ad mare Oceanum devaſtant. *Rhegino*.

934. Hungari, hoc anno, maximis copijs collectis, adverſus Henricum Germaniæ Regem, bellum movent, & Saxoniam prætereuntes, in Thuringiam evadunt, ferro & igne omnia vaſtantes. Sic cuncta populantes, aggreditur Rex *Henricus*, eòſque ad interneccionem uſque delet. Triginta ſex millibus cœſis, cæteris aut captis, aut flumine abſorptis. *Sigibertus*, *Frodoardus*.

935. Reddidit hæc clades quietos Hungaros, uſque ad mortem ejuſdem *Henrici* Regis, quò defuncto. Anno:

937. Poſito metu, rursus erumpunt, ac relictâ Germaniâ, utpotè minus bellis ſuis favente, bipartito Exercitû Italiam & Galliam aggrediuntur. Verùm, qui in Italiam ivère, à Marſis, Pelignisſque in unum convenientibus omnes trucidantur. Felicior eorum graſſatio fuit, qui in Galliam penetraverant, ex qua non tantùm incolumes, ſed & cum ſacra proſanâque rediére præda. *Inchofer*.

938. Hoc annò adverſus Othonem Regem Germaniæ, Filium *Henrici*, anno priorè defuncti, plures Principes rebellant, de quibus tamen Otho miraculoſâ proſus potitus eſt victoriâ. *Sigibertus*, *Hermannus*, *Frodoardus*.

939. & 940. Celebres ſunt hi quoque anni prodigioſis Othonis victorijs, quarum unam de ijsdem rebellibus Principibus, alteram de *Boleſlao* Duce Bohemiæ, glorioſè reportavit. Quibus auditis Hungari, Othonis fortunam ſuſpicientes, eumque non degenerem Filium Parentis animadvertentes, & ſimul plurima diviniæ protectionis argumenta, circa eum conſiderantes, meliora cœperunt cogitare conſilia, ac ſaniùs de Fide Chriſtiana ſentire, ferocitatèque depoſitâ, ea potiùs quæ pacis ſunt cogitare; unde compluribus annis, cum externis nationibus, pacem ſanctè colendo, quieti manſère. Verùm anno:

947. Impatientes ulterioris quietis, iterum ad bellum ſe convertunt, *Bavariam*que hoſtiliter invadunt; ſed congreſſi prælio cum *Bavaris*, ab ijs devincuntur, ac repelluntur, ingentique jacturâ domum reverti coguntur.

948. Hungari, nulli jam extero Regi parere docti, hoc anno novum sibi Regem *Toxin* nomine, ab Attila longâ serie descendentem creant.

949: & 950. *Toxin* novus Hungariæ Rex, virtutem suam militarem ostentare volens, neque tamen Othonem, (fortunam ejus veritus) laceffere audens, in Italiam venit, eamque depopulatur. Cui Berengarius II. ut Italiâ excederet, decem modios aureorum largitus est, sed non ex sua pecuniâ, verùm ex pauperum, & Ecclesiarum fundis, majore longè autem parte, pecuniæ congregatæ, sibi reservatâ. *Inchofer*.

951. Hungari igitur Italiâ excedentes, superatis Alpibus, in Aquitaniam penetrant, quâ per aliquot menses vastatâ, multisque cædibus patris, & prædâ ingenti actâ, rursus per Italiam, in sua revertuntur. *Leo Ostiensis, Frodoardus*.

952. Quievère iterum aliquamdiù hâc prædâ ditati Hungari. Donec anno:

954. A Luitdolpo Filio Othonis, contra Parentem rebellante, in subsidium evocarentur. Igitur Anno:

955. In Germaniam, tantâ multitudine se infuderunt, quantam tunc viventium hominum, nemo se vidisse, in ulla regione proficiebatur. Hos itaque Otho, Augustam Vindelicorum obsidentes, pietate potius, quàm armis instructus, confidenter invasit, die Sancti Laurentij, ac tantâ delevit clade, ut pauci admodum eorum effugerint. *Sigibertus, Rhegino*.

956. Hungari, nuperiori clade enervati, & non parùm afflicti, animos ad otium salutare, de fide Christiana suscipienda, convertunt, rati hâc ratione Othonem, ipsùmque DEUM, efficacissimè placari posse. *Inchofer*.

957. Otho Germanorum Rex, videns Hungaros, jam suo malo attritos, studium omne convertit, ut eos ad Religionem Christianam suscipiendam, quâ consilij, quâ armis adducat. Ast expeditionem in eos suscepturus, à tumultuantibus Slavis, impeditur. Sed & Hungari, metu Othonis, ab armis & deprædationibus abstinent, atque imposterum vivunt pacificè, usque ad finem vitæ Othonis. Cujus mors sancta contigit anno 973. cum in Imperatorem coronatus esset, anno 962. Antehac solo titulo Regis Germaniæ contentus. Ob res plurimas, præclarè gestas, meritò nomen *Magni* promeritus. Interea temporis, anno:

970. Moritur *Toxin* Hungarorum Rex, postquam res Hungarorum variâ fortunâ, Ducis perinde ac Regis appellatione gessisset, Filio *Geysâ* in spem Successoris relicto, qui tamen Regno necdum ob ætatem maturus, nonnisi post quadriennium, Patri subrogatus est. Igitur anno:

974. *Geysa* Regni habenas capeffit, atque initio statim fui Regiminis, pace potiùs, quàm bello suis prospicere decernit. *Inchofer.*

975. *Geysa*, Christianis favet, & conversionis suæ gentis ad Fidem Christianam, consilia suscipit.

976. Hunc in finem, omnes Advenas Christianos, in Regnum Pannoniæ benignè admittit, atque suis ut imposterum mitiùs cum Christianis agant, severè præcipit.

977. Hoc anno, *Benedictus* Papa, Ecclesiam Sancti Bonifacij, Romæ, in monte Aventino, Sergio Damasci Episcopo, pro Monasterio juxta eandem erigendo, tradit, in quo Sanctus Adalbertus, Hungarorum Apostolus, antequam in Hungariam proficisceretur, compluribus annis egit.

978. Eminent hoc vel maximè annò *Wolffgangi* sanctitas, alterius Hungariæ Apostoli, dum Exercitum Othonis, miraculosè, per exundantem fluvium *Axonam*, incolumem traducit. *Sigibertus.*

979. *Geysa*, meditati de modis Hungaros ad Fidem Christianam adducendi, Beatissima Virgo MARIA apparet, eumque ad sancti propositi executionem animat. Qui eodem anno *Piligrinum* Laureacensem Episcopum, missâ honorificâ Legatione, in Pannoniam invitat, ut sibi, suisque populis, Christianam interpretaretur Philosophiam.

980. *Piligrinus*, tam præsentem Christo lucrificandi occasionem, haud prætermittendam ratus, assumpto secum Sancto *Wolffgango*, in Pannoniam venit, & à *Geysa* benignè suscipitur, qui illicò manum ad excolendam Domini vineam applicat, verbo & exemplò Christianæ fidei veritatem, omnibus persuadere adlaborans.

981. Hoc anno Sanctus Adalbertus, in Episcopum Pragensem eligitur, & consecratur, jam tunc à DEO, pro conversione Hungariæ, ordinatus. *Inchofer.*

982. Sanctus *Nicon*, Bulgaros, plurimòsque Hungaros, qui in Bulgaria sedem fixerant, ad Christum convertit.

983. Sanctus Adalbertus, relicto Episcopatu, vitæ sanctioris desiderio, Romam proficiscitur, atque in dicto Sancti Bonifacij Monasterio, vitam Monasticam amplectitur.

984. Occasione tumultuum, ex morte Othonis II. Imperatoris in Germania, Hungari de bello ciendo iterum cogitant. Verùm *Geysa*, jam animo erga Christi Religionem, Regno suo inferendam, obfirmatus, eisdem constanter obnititur. *Inchofer.*

985. *Geysa*, cum conjugè & tota Familia, multisque familiaribus suis,

undis salutaribus expiatur, Christianúsque efficitur. Eodem anno Sanctus *Stephanus* Strigonij nascitur.

986. *Geysa* nihil intermittit, quò universos populos suos, ad Fidem Christi adducat.

987. Hungari, difficiles se ad conversionem præbent.

988. Bohemi revocant Pragam Sanctum Adalbertum, Romã, qui secum insignes doctrinã, & sanctitate viros, adducit, quorum multi præclaram postea præstítère, in conversione Hungariæ, operam. Otho III. Imperator, & reliqui Principes Christiani, cognito rerum Hungariæ statu, & quòd *Geysa* Princeps, susceptã Christi Fide, Religionis propagandæ studio arderet, plurimùm gavisi, omnem ei favorem, opem, & auxilia deferunt, si ea necessaria essent, contra detrectantes.

989. Sanctus *Adalbertus* indignitate morum suorum Pragensium motus, rursus Bohemiam deserit, atque in Hungariam, ad *Geysam* Ducem venit. *Inchofer*.

990. Inde rursus Romam redit, pristinæque quieti, in eodem Monasterio Sancti Bonifacij, se tradit. *Inchofer*.

991. Sanctus *Piligrinus* Hungariæ Apostolus, in cælum migrat.

992. 993. & 994. Sanctus *Stephanus*, futuræ suæ Sanctitatis, eximia dat indicia.

995. Hungari, paulatim cervicem flectunt, & gentilem superstitionem, quotidianã ad Christum accessione, exuunt.

996. Sanctus *Adalbertus*, à Gregorio V. Summo Pontifice, rursus Pragam remittitur.

997. *Geysa* jam senio gravis, Regno se abdicat, cui subrogatur Filius ejusdem *Stephanus*, magnã voluptate Patris, qui eodem anno sanctissimè obijt. Adalbertus redux Romã, seditione Civium, Bohemiã prohibetur, qui ob id Hungariam repetit.

998. Divulgatã Sancti Regis *Stephani* per orbem famã, multi externi sanctissimi viri, in Hungariam confluyunt, ad verbum DEI disseminandum, & Evangelium Christi prædicandum. Quos inter fuit & *Astricus* Abbas, dein Archi-Episcopus Colocensis creatus.

999. Sanctus *Stephanus* rebelles vincit, & pro reportata victoria, ex voto, Divo Martino, in monte Pannoniæ, Monasterium Religiosis Sancti Benedicti, fundat.

1000. Sanctus *Stephanus* aliquot Episcoporum Sedes designat, inter quas Strigoniensem, Natalis solj, dignitate Metropolitanã fulgere decernit. Legationem dein ad Sylvestrum II. Papam mittit, & ab eodem Coronam Regiam

Regiam impetrat, quin & potestatem Crucis ante se deferendæ, tanquam Rex Apostolicus, accipit, atque eodem anno, die, qui Assumptæ Virginæ sacer fuit, in magna Procerum, & populi frequentia, in Regem ungitur, & Diademate Sacro redimitur. *Carthuius, Bonfinius.*

III. SYNOPSIS

SEU

CHRONOLOGIA HUNGARIÆ,

Ab Anno Christi 1000. usque ad Annum 1500.

Anno Domini 1001. Anno primo sæculi undecimi, Sanctus *Stephanus* Rex, Archi-Episcopatum Strigoniensem, & decem Episcopatus, in Hungaria fundat, & primum quidem Archi-Episcopum Strigoniensem, *Sebastianum*, ex Divi Martini Cœnobio Monachum, instituit. Colocensi verò Ecclesiæ, (quæ successu temporis, in Archi-Episcopatum erecta est) *Astricum* Abbatem præficit.

1002. Sanctus Rex *Stephanus*, Cœnobium Sancti Martini, Montis Sacri, ex spolijs hostium locupletatum, singularibus Privilegijs exornat.

1003. Inter *Stephanum* Regem, & *Gulam*, qui Transylvaniæ præerat, ejusdem Avunculum, intestinum bellum exoritur, quo *Stephanus* *Gulam* gloriosè debellat, atque cum uxore, duobusque liberis captum, in Hungariam abducit. Verùm post Religionem Christianam susceptam, eosdem libertati, ac pristino Statui restituit. Eâdem fortunâ, & reliquî populi Transylvaniæ Fidem Christi amplectuntur, ipsâque Transylvania, Regno Hungariæ perpétuo jure adjungitur. Ad hunc eundem Annum, videtur spectare etiam Episcopatus Transylvanicæ, seu *Albæ Juliæ*, Fundatio & erectio.

1004. Sanctus *Stephanus* Rex, in *Bulgaros*, Hungariam & Transylvaniam latrocinijs infestantes, magno ubique delectu habito, movet, mox inferiorem Mysiam ingressus, eosdem adoritur, & profligat, *Ceâ* Principe eorum in pugna cæso, castris direptis, tantâ adeptâ prædâ, nemo ut hostium spolijs, non divès redierit.

1005. Ste-

1005. *Stephanus* vigesimum jam agens ætatis annum, despondet sibi *Gyselam* Sancti *Henrici* Imperatoris Sororem, ætatis ferè paræ, sanctitatis æqualis, *Virginem*, quæ deducta in *Hungariam*, statim in *Reginam* coronatur.

1006. *Gysela* post acceptam coronam, jam *Regina* cum Rege pietate certat, & *Vesprimiensem* Ecclesiam proprijs impensis exædificat, & liberalissimè dotat. *Stephanus* vicissim inchoatum à se Templum *DEIPARÆ Virginis*, *Albæ Regiæ*, admirandæ structuræ opus urget, & promovet.

1007. Sanctus *Emericus* *Albæ Regalis* nascitur. Sanctus *Stephanus* Abbatiam *Ordinis Sancti Benedicti*, ad *Radices Montis ferrei*, in *Diocesi Quinque Ecclesiensi*, vulgò *Péeh-Várad* dictam erigit, ac fundat; sed extra *Regnum* pietatis suæ monumenta extendit: Nam *Romæ* pro *Hungaris* *Romam* peregrinantibus, *Hospitium* & *Oratorium* ædificat. Collegium item *duodecim-Canonicorum*. *Constantinopoli* quoque hoc eodem anno, mirifici operis condit Ecclesiam.

1008. Pergit eadem pia opera promovere Sanctus Rex *Stephanus*.

1009. Crescente Religione in *Hungaria*, frequentes etiam peregrinationes piè suscipiuntur ab *Hungaris*, ad invisenda loca sacra, non solum utriusque *Romæ*, sed & *Hierosolymorum*, unde pius Rex, de fundandis illic domibus, hospitij, ac nationis Templo deliberat, serioque animum applicat, sed quò minus id hoc anno præstare potuerit, *Hierosolymitani Templi*, quod *Sepulchrum Redemptoris Nostri* servabat, jussu *Ammirati Babylonæ* Principis, ac astu *Judæorum*, facta everfio, in causa fuit. Interea Sanctus Rex *Episcopatum Quinque-Ecclesiensem* in *Hungaria* erigit, ac fundat. Sanctus *Andreas Eremita*, qui & *Zorardus*, vel rectiùs *Zoëardus* nuncupabatur, in *Hungaria* in *Territorio Nitriensi* in cælos migrat.

1010. Restituto ac restaurato iterum *Hierosolymitano* Templo, per *Matrem ejusdem Ammirati* Principis, sceminam *Christianissimam*, omnium fidelium, adeoque & *Hungarorum* revixit fervor, ac devotio invisendi loca Sacra, in quibus *Redemptionis nostræ* peracta sunt *Mysteria*; itaque Sanctus Rex hoc anno, quod *Superiori* deliberaverat, effectui mandat, *Cœnobium Hierosolymis* fundat, additis domibus & hospitij, pro *Hungariæ Nationis Peregrinis*, quorum curam dictis *Cœnobiarchis* committit.

1011. Sanctus *Emericus*, jam *quadriennis*, piâ parentum curâ, ab optimis moderatoribus instituitur, ac pièntissimè educatur. Interea & ipse Rex *Stephanus*, majoribus in dies incrementis pietati studens, non solum *indigenas pauperes*, sed & *externos* quoque *largissimis Eleemosynis* sublevat.

1012. Hoc anno Benedictus Eremita, à latronibus in spelunca prope *Skalkam* jugulatur, & in flumen *Vagh* demergitur, ac inter Martyres asseritur.

1013. Sanctus Emericus, jam sexennis, prima Litterarum elementa doctus, totum lectioni piorum librorum se tradit.

1014. Henricus per duodecim annos Rex Romanorum, & cognatus Regis Stephani, hoc anno unà cum conjugè *Cunegunde* Romæ coronatur, & Imperiale nomen suscipit.

1016. Sanctus Stephanus Rex, pro ordinando Regno, saluberrimas Leges, suorum Procerum utriusque Statûs interventu, condit, quas utique si Hungari constanter tenuissent, in Labyrinthum tot miseriarum & calamitatum, ad quas relictis Legibus Sancti Regis Stephani, postea devenerunt, nunquam devenissent.

1017. Dum Hungaria sub Stephano majoribus in dies incrementis cultûs Christi radiat, Gallia sub Roberto Rege Manichæorum Hæresi laborat.

1018. Templum Hierosolymis, à Srephano Rege conditum, cum reliquis Monasterijs & Templis, per *Hequem* Calipham evertitur.

1019. Sanctus *Stephanus* Emericum Filium sanctis præceptis, libello ad id composito, imbuit, quæ etiam num extant, in publicis Regni Decretis, ad confusionem A catholicorum, qui à pietate suorum antecessorum, tam turpiter defecerunt.

1020. Dum *Stephanus*, singulis triennijs Monasteria more sibi aliàs consveto visitat, *Wesprimiûm*que hoc anno venit, Sanctus Emericus annum tertium supra decimum agens, in Basilica ibidem à Matre sua *Gysela* ædificata, preces noctu fundens, divinitûsque admonitus, votum perpetuæ Virginitatis concipit.

1021. *Bessi* Thraciæ populi, latrocinijs & rapinis vitam traducentes, omnibus quidem Christianis, sed maximè Hungaris, non ita pridem Christiana amplexis, insensî, per Transylvaniam, hostilem incursionem faciunt, ast Transylvani præmoniti à Sancto *Stephano*, divinitûs de periculo imminente edocto, ad tutiora loca se recipiunt, sicque Barbarorum manus, potiori ex parte evadunt.

1022. *Stephanus* & *Gysela* Veterem Budam visitantes, amœnitate loci, & frequentia populi, capti, novam Basilicam Principibus Apostolorum Petro & Paulo dicatam, condunt.

1023. *Stephanus* Rex, & *Gysela* Regina, Religioni ac pietati intenti, Romam pro Reliquijs Sanctorum mittunt, quas liberaliter eisdem offert

Benedictus Papa, & ab his magno gaudio, solennique apparatu excipiuntur, ac per varias Regni Ecclesias distribuuntur.

1024. Sanctus Henricus Imperator, *Gysela* Reginae Hungariae Frater, praclaris, ac immortalibus operibus editis, temporale Regnum relinquens, ad caeleste transit.

1025. Sancta Virgo Cunegundis Augusta, ipsa anniversarii die obitus Henrici Imperatoris, in *Confugiensi* Monasterio, quod exerat, in dedicatione ejus Basilicae, posito crine & ornamentis Imperatoris, Monasticum suscipit habitum, ut in eo monialibus inferviret, ubi ad obitum usque, annis quindecim perseveravit. Quae ubi audita sunt in aula Regis *Stephani*, mirum quantopere accenderint animos utriusque conjugis, ac praecipue Emerici eorundem filij, ad caduca hujus mundi contemnenda.

1026. Unde Sanctus *Stephanus*, ut curis saecularibus depositis, caelestibus melius vacare posset, Emericum filium Regni successorem designat, eidemque Virginem stirpe Regia natam despondet, quae Sanctissimo Sponso, castitatisque voto, jam antea DEO obligato nupta, ipsa quoque cum Virgine Virgo permanere statuit. Sicque alterum par Matrimonij, cum Virginitate juncti, ad imitationem Sancti Henrici, ac Cunegundis, in Hungaria quoque, eodem saeculo eluxit.

1027. Ad hunc annum referunt aliqui obitum Sancti Romualdi Abbat, de Hungaria etiam optimè meriti.

1028. Per Hungariam Fides Catholica mirum in modum floret.

1029. *Stephanus* Rex, totus intentus promovendae DEI gloriae, stabilendae Fidei Catholicae in Hungaria, hoc anno in Comitatu Simigiensi, & Dioecesi Wesprimiensi, Abbatiam Religionis Sancti Benedicti, Sancto Mauritio dicatam, & vulgò in *Bakon* nuncupatam, fundat.

1030. *Conradus* Imperator, bellum movet contra Sanctum *Stephanum* Regem, quem tamen DEUS miraculose protegit, ac *Conradi* exercitum dissipat, postquam Rex Sanctus, se, suosque Patrocinio Beatissimae Virginis, tanquam Patronae Hungariae commendasset. Hoc eodem anno, unicus filius ejusdem Sancti *Stephani* Emericus, Patri sanctimoniâ propè par, terras cum caelo commutat. Quò eodem anno, Sanctus *Gerardus* in Hungariam venit. *Inchofer*.

1031. Hoc & sequentibus duobus annis, *Stephanus* Rex, & *Gysela* Regina, ab obitu Emerici, multò magis pietatis operibus intenti, non solum templum, quod ante aliquot annos Hierosolymis fundaverant, & quod postea Saraceni everterant, rursus restaurant, ac ornant, sed & Christianos Hierosolymitanos, liberalibus Eleëmofyni adjuvant, ut continuos haberent illic ad Sepulchrum Christi, pro se exoratores,

1034. Quatuor Proceres Hungariæ, etiamnum paganismi perfidiam in corde foventes, in necem Sancti Regis *Stephani* conspirant, rati morte illius, Hungaros ad pristinos gentilitatis ritus redituros, sed Divinâ providentiâ, conspiratio impia detegitur, & à Sanctissimo Rege parricidis venia seeleris conceditur. Hoc eodem anno, sanctissimè obiit Anastasius sive Africus, Colocensis Præsul, is, qui Coronam auream *Stephano* sacrando, à Pontifice Romano retulerat. Obijt autem plenus meritis, & annis septuagenario non minor, postquam venisset in Hungariam, anno trigesimo secundo, ut notat *Inchofer*, qui tamen ejus mortem ad annum 1046. refert.

1035. Hæresis *Berengarij* resuscitatur in Gallia, quæ mox Germaniam quoque penetrat; penetratura etiam ad Hungaros, nisi pientissimi Regis Religio obstitisset.

1036. Durante interregno in Polonia, Bohemi atque Rutheni, Regnum illud invadunt hostiliter, cuncta sacra & profana miscentes, quo in tu nultu Bohemi ipsis etiam corporibus Sanctorum, Gnesnensem spoliant Ecclesiam, inter quæ fuere corpora Sanctorum quinque Martyrum: Matthæi, Benedicti, Joannis, Isaac, & Christiani, qui omnes aliquando sub Anastasio Abbate, postea Colocensi in Hungaria Archi-Episcopo, monasticam ducebant vitam. Eodem anno, Sanctus *Stephanus* Rex, Gerardum Monachum ab Eremo revocans, Episcopum Chanadiensem (invitum licet) constituit.

1037. Ut primum autem Gerardus Episcopalem suscepit dignitatem, complures in Hungaria ædificat Ecclesias, ac hoc anno, principalem Ecclesiam in honorem Sancti Georgij Martyris, Chanadini, ad littus *Marusij* fluvij extruit, quam *Stephanus* Rex, dotalitijs muneribus notabiliter dat.

1038. Obijt hoc anno Sanctus *Stephanus*, primus Hungariæ Rex, Budæ, ætatis suæ circiter 53. Regni verò 38. exacto, die 15. Augusti, in festo B. Virginis Assumptæ, uti ipse concupierat, & quo die olim coronatus fuerat, commendato Regno, singulari Patrociniò Beatissimæ Virginis, quam jam antè Patronam Hungariæ, & Dominam dixerat.

1039. Sub finem prioris anni, non diu post obitum Sancti Stephani Regis, cùm Rex Sanctus hærede careret, Petrus natione Alemanus, Sancti Stephani ex sore nepos, Rex Hungarorum nominatus, hoc anno coronatur, qui statim in ipso limine, à vestigijs avunculi, plurimum deflexit, & Regnum quasi jure, non sorte accepisset, contemptis Legibus, sibi subiectos, temerè gravare cœpit. Hoc eodem anno *Gysela* Regina, non sine

mœrore ac luctu Hungarorum, ex Regno discessit, Pataviùmque (quod nunc Passavium dicitur) profecta est, ibique in Sanctæ Crucis Monasterio, à Sancto Henrico germano, & Cunegunde cognata fundato, religiosam vitam amplectens, vitam reliquam eximia cum sanctitate traduxit.

1040. Post discessum Reginæ Gylsæ, res Hungarica declinare cœpit, Petro Rege non ex consensu, & consilio Procerum, sed pro libidine omnia agente. Communi igitur omnium voto admonetur insolentiarum, priùs ab Antistitibus, & præcipuè à Gerardo Episcopo Chanadiensi, eximiæ Sanctitatis famâ celebri, dein à reliquis Optimatibus Regni; ast is impatiens correptionis, monitoribus, nisi monitis abstinere, pejora interminando, in malè ceptis tumidè contumax manet, & in dies evadit deterior.

1041. Tandem Hungari, Tyrannidis pertæsi, edundem Regno deiciunt, & *Abam* Hungarum, Regem in locum illius eligunt.

1042. *Aba* Rex, qui initio sui Regni, magnas spes rerum bene gerendarum Hungaris dederat, jam in honoribus regijs constitutus mutat mores, & multorum sanguine scædè cruentat sceptrum, diræque servitute Hungaros premit. Interea Henricus Germaniæ Rex (ad quem Petrus pulsus Regno Hungariæ confugerat,) in *Abam* (quem alij *Albonium* seu *Ovoniem* vocant) exercitum ducit, ut Petrum in Regnum Hungariæ restituat, Rex *Aba* è contra, Henricum præveniens, prior bello invadit Austriam, & Bavariam, ac insuper Carinthiam etiam vastat.

1043. Henricus ingentes copias in Hungariam ducit, cui ad Jaurinum non minori multitudine *Aba* occurrit, committitur mox inter utrumque exercitum ingens prælium, in quo *Aba* à suis ob sævitiam magna ex parte desertus, vincitur, & fugatur, ac *Petrus* Regno iterum restituitur.

1044. Rex *Aba*, nuper ex prælio fugâ elapsus, diù quæsitus, & tandem inventus, occiditur.

6045. Sublato *Abâ* sive *Ovone*, *Petrus*, qui Regno restitutus, emendatæ indolis, magnam universis spem fecerat, metu æmuli liberatus, priorem resumit ferociam, unde Proceres quidam Hungariæ, res novas contra eundem moliantur. Obijt hoc eodem anno Sanctus Guntherus Eremita, Divi Stephani Regis cognatus.

1046. Conspirant igitur in *Petrum* Regem, atque *Andream* & *Leventam*, Regij sanguinis adolescentes, in Russia seu *Roxolania* tunc exulantes, ad Regium sceptrum capeffendum evocant. His intellectis *Petrus*, fugâ se in Austriam recipere intendit, sed ex itinere retractus, ad Mosoniensem agrum, in Pago *Zamurem*, unâ cum conjuge, in potestatem Hungarorum

venit,

venit, ac continuè luminibus privatus, Albam Regalem abducitur, paucisque post diebus dolore vulnerum, animique mœrore, extingvitur.

1047. Petro Rege sic oppresso, Hungari *Vathâ* nequissimo ac scelestissimo Duce, ad paganismum magna ex parte redeunt, ac Sanctum Gerardum Episcopum Chanadiensem, aliosque aliquot Episcopos, martyrio afficiunt, mirèque in cæteros quoque Christianos sæviunt. Tandem sub finem anni, *Andream* Ladislai Calvi Filium, in Regem Hungariæ eligunt, non aliter tamen, quàm ut sibi libertatem paganismi permittat. Cujus promissione factâ, simulatè, & temporarij serviendo, paucis post diebus, is, Regni insignia suscipit, & Albæ Regalis coronatur.

1048. *Andreas* libertatem prædictam paganismi, utpotè perniciosam, & à se vi extortam, in animo dominans, per omnem latè Hungariam, publico edicto sub capitis pœna, paganismum proscribit, veramque Religionem Regno restituit.

1049. Henricus III. Imperator, mortem Petri Regis ulturus, ingentem exercitum contra *Andream* Regem, in Hungariam ducit, cujus primos impetus excepturus *Andreas*, & ipse se accingit. Cùm pacem à Henrico, etiam ipso Pontifice Leone mediatore, impetrare nullis rationibus valeret.

1050. Henricus Imperator, Hungariam hostiliter ingressus, Posonium obsidione cingit, ac spatio duorum mensium acriter illud oppugnat. Interim *Andreas* Rex, ad opem Divinam confugit, DEO votum nuncupando. de Templo ac Cœnobio, sub patrocinio Divi *Anniani* Aurelianensis quondam Antistitis sanctissimi, si hostem repelleret. Nec vana ejus fuere vota, obsessorum enim repentina eruptione, mox castra hostium perturbantur, acies dissipantur, exercitus ferè totus, in fugam agitur, sicque obsidio Urbis feliciter solvitur. Ita hoste pulso Rex *Andreas*, eodem anno statim votum exolvit, Abbatiamque Tyhaniensem medio propemodum *Balatonis* lacu, saluberrimo cœlo, soloque & prospectu amœnissimo, fundat, ac è fundamentis Templum Cœnobiûmque erigit. Hæc inter verò, Belam fratrem minorem natu, quo cum olim exulabat, in Hungariam revocat, eidemque tertiam partem Regni ultroneè cedit.

1051. *Andreas* Rex, nihil non agit apud Leonem IX. Pontificem, pro autoritate interponenda, ne Henricus Imperator denuo Hungariam bello invaderet, movit tantæ rei momentum, Sanctissimum Pontificem, ita, ut ipsemet in persona se in Germaniam conferret, ad pacem constantem, Henricum inter & *Andream* componendam, sed amicis discordiæ interturbantibus, id frustra fuit. Henricus itaque (Leone Pontifice re in-

fectâ Romam redeunte) longè majori apparatu bellico, exercitûque auctiori, duplici ex parte Hungariam aggreditur; ast defectu commearûs, jam antea ab *Andrea* Rege, ex industria præcisi, pars illa exercitûs, quam ipsemet Henricus secundùm defluxum Arrabonis fluvij ducebat, fame magnâ laborare cœpit. Quibus visis Henricus, Regi *Andrea* pacem, priùs ab hoc expetitam, & ab illo denegatam, jam ultrò offert, quam etiam is lubens acceptat, sicque pax exoptata, inter duas potentissimas nationes concluditur.

1052. Pro confirmada proximè elapso anno inita pæe, inter Salamone filium *Andrea* Regis, & Sophiam Henrici Imperatoris filiam, sponsalia ad Moravam annem, qui Moraviam ab Hungaria disternat, magnifico apparatu celebrantur, ac fœdera facta utrinque renovantur, ac demum Sophia Neo-sponsa magno comitatu, singularique cum pompa, in Hungariam deducitur. Agebat autem tuuc Salamon, quartum infantiaæ annum, Sophiâ intra pueritiam constitutâ.

1053. *Andreas* Rex, periculi jam securus, novâque affinitate Henrici Imperatoris, finitimorumque Principum amicitia auctus, totum se ad pacis & pietatis studia, curamque stabiliendi Regni, pro filio suo Salamone convertit. Quò consiliò, multa pro incremento Religionis Catholicæ facit, filiumque suum Salamone, puerum adhuc quinquennem, Belâ etiam fratre assentiente, in Regem Hungariæ coronari curat.

1054. Bela, Frater Regis *Andrea*, dolens se consensisse in coronationem Nepotis Salamonis, ipsèque interim occultè Regnum affectans, neque ob id satis *Andrea* Regi fidens, in Poloniam fugit. *Andreas* Rex è contra, à Bela sibi timens, Salamone filium, ejûsque sponsam securitatis causâ, ad Henricum Imperatorem ablegat.

1055. Bela in Polonia spontè exulans, de Regno Nepoti Salamoni extorquendo, curas omnes impendit.

1056. Obijt hoc anno Henricus III. Imperator, jam anno proximè præterito filio quinquenni in Regem Romanorum coronato.

1057. *Andreas* Rex, audito Henrici Imperatoris obitu, plurimum dolet, mox datis ad Agnetem Augustam, & Filium ejus Henricum Regem litteris officij plenis, Salamone filium eisdem commendat, meliori tempore in Patriam revocandum.

1058. Pergit interea *Andreas* Rex in rectè administrando Regno, Religionèque Catholica firmanda, & promovenda.

1059. Boleslaus Rex Poloniæ, Belæ exulis, & uxoris ejusdem suæ amicitia precibus fatigatus, bellum *Andrea* Regi indicit, vicissim *Andreas* Hen-

Henricum Regem Romanorum, & Wradislaum Bohemiæ Principem, in societatem armorum evocat. Committitur igitur ad fluvium Tibiscum atrocissimum prælium, in quo Bela victor evadit, & *Andreas* Rex fugiens, ab hostibus comprehensus, miserè perit.

1060. Post *Andræ* Regis interitum, *Bela* fraterno bello superior, fuis hostibus, rerúmque potitus, Albam victor ingreditur, ac consensu omnium Procerum, in Regem Hungariæ coronatur. Hic ab exordio statim sui Regni, ad pacandam Regionem, & curanda gentis commoda, fidémque Orthodoxam firmandam, animum applicat, sapientérque Regnum administrat, & quod à principio intendit, è sententia consecutus est, ac ne quæ fraus in commercijs & dolus committeretur, monetam argentæam cudi facit, ac auream quoque intröducit, neque aliam ullam quöad vixit admisit; mensuras item ac pondera instituit, pretiaque rerum venalium omnium constituit, ac stabiliivit.

1063. Tertio autem Regni sui anno, in oppido *Demes*, cüm causis judicandis vacaret, ruinâ conclavis, unâ cum folio Regio adeò conquisita est, ut desperatâ valetudine, ægrotare cœperit, nec multò post obierit, sepultúsque est in Divi Salvatoris Cœnobio *Zegzard* dicto, quod ipse exædificaverat: reliquit filios *Geysam*, *Ladislauum*, & *Lampertum*. Eodem anno *Salamon* audito Regis *Belæ* obitu, *Henricum* IV. Imperatorem, (cujus sororem *Sophiam* uxorem sibi destinatam habebat) extemplò adit, rogans, ut se in Regnum jure sibi debitum restituat. His precibus ille victus, validissimum repentè exercitum cogit, *Salamoném*que in Hungariam deducit, qui mox *Albæ* Regali ab Hungaris denuò coronatus, Rex proclamatur. *Geysa* item & *Ladislao* filijs defuncti Regis *Belæ*, cüm se viribus Imperatoris impares esse intelligerent, se ad suos, unde ex matre orti erant, in *Poloniam* recipientibus, *Henricus* autem restituto *Salamone*, ac pacatâ Hungariâ, in *Alemaniam* redit.

1064. Postquam *Geysæ* & *Ladislao* significatum esset, *Henricum* Imperatorem Hungariâ abiisse, haud quaquam rem differendam rati, cum *Polonicis* copijs Regnum repetunt, & *Salamon* sibi metuens, ad tutiora se recepit. Ast Procerum & præcipuè *Desiderij* Archi-Episcopi *Strigoniensis* operâ, pax & fœdus inter Patruales fratres, hâc conditione inicitur, ut *Salamoni*, quamvis juniore Regnum cederent, & velut legitimo Regi parent, *Geysa* & *Ladislao* Paterno Ducatu potirentur.

1065. *Zolomerus* Rex *Dalmatiæ*, qui Sororem *Geysæ* ac *Ladislai* Ducum in uxorem habebat, ad *Salamonem* Regem, & prædictos Duces, Legatos mittit, ab utrisque auxilia militaria petens, contra *Carinthos*, qui tunc *Marchiam*

Dalmatiæ occupaverant. Rex igitur, & Dux Geysa collecto exercitu, ipsi in persona in Dalmatiam expeditionem suscipiunt, & ablatam Marchiam integrè eidem restitunt.

1067. Bohemi Wradsilao Duce, audaciâ & temeritate inflati, in Trenchinientem Comitatum erumpunt, ferrôq; ac incendio cuncta vastant, pecoribus multis abactis, & captivis quoque plurimis abductis. His injurijs Hungari accensi, *Salamonis* Regis, & Geysæ Ducis, ductu, auspicijsque, Bohemiam, tam validis copijs invadunt, ut hostibus in aciem prodire non audentibus, universam ferè spoliarint, vastâruntque.

1069. Post hæc, ne fortuna Pannoniam otio torpere pateretur, Chunorum bellum exarsit. Qui innumerâ multitudine, Hungariam insperatè invadentes, totam Provinciam, quam *Nyir* vocant, usque ad Civitatem *Byhor*, crudeliter devastârunt, ac depopulati sunt. Rex igitur *Salamon*, & Dux Geysa, cum fratre suo *Ladislao*, collectissimo exercitu, in eos jam prædâ onustos, & ad suos cum triumpho revertentes, fortiter irruunt, eosque fugant, dissipant, magnâque clade afficiunt, universamque prædam recipiunt, ingentemque multitudinem captivorum Christianorum, e horum paganorum manibus liberant.

1073. Tertio autem post eruptionem Chunorum anno, *Bisseni* ac *Bulgari*, trajecto *Savo* in *Syrmium*, inferioremque Hungariam hostiliter se effundunt, cuncta diripiunt, pecora cum hominibus abducunt, & remisso anno, rapinisque onusti, in Bulgariam se recipiunt. Rex proinde *Salamon*, & Dux Geysa, ultionem de *Bulgaris* sumere cupientes, *Albam Græcam* obsidione cingunt, eamque vi expugnant, ac juris Hungarici faciunt.

1074. Interea Imperator Græcorum, auditâ liberalitate & humanitate Ducis Geysæ, Legatos ad firmandam cum eo pacem, ac amicitiam, (præterito *Salamone* Rege) mittit, quam etiam impetrat. Unde Rex *Salamon* contra Geysam invidiâ tacitè exardescit.

1075. Privatæ hæc simultates inter Regem *Salamonem*, & Duces Geysam ac *Ladislau*m, in apertum erumpunt bellum, in quo *Salamon* Rex vincitur, & amisso exercitu, vix fugâ se salvat ad *Zigetlén* Danubium transiens, cum uno duntaxat itineris comite. Mox Geysa & *Ladislaus*, cum exercitu victore, ad *Albam Regalem* veniunt, & tunc Geysa Dux, compellentibus Hungaris, coronam Regni suscipit.

1076. *Salamon* Rex à suis penitus destitutus, rursus ad *Henricum* IV. Imperatorem confugit, ab eoque auxilia exposcit, ac etiam impetrat; sed Ducum, qui exercitui præfecti erant perfidiâ, *Henricus*, qui ipsemet in per-

in persona, pro restituendo rursus Salamone, in Regnum advenerat, re infectâ in Germaniam revertitur.

1077. Rex Geyſa cognomento Magnus vocatus, à suis, in ægritudinem incidit, & 7. Calendas Maij, rebus humanis excedit. Post cujus obitum, vivente licet adhuc Salamone, Hungari unanimi consensu, *Ladislaum* Geyſæ fratrem, Regem declarant, imò ferè magis affectuosissimis precibus compellunt, Salamone interim privatam vitam ducens, commorabatur Polorum, & ei adjacentibus locis, nec tamen unquam de recuperando Regno spem & conatus deposuit.

1081. *Ladislaus* Rex, quamvis sciret Salamone nimis esse trucem & implacabilem, victus tamen pietate, pacem inquit cum eodem, donans ei stipendia, ad regales expensas sufficientia. Salamone autem præconceptæ iracundiæ amaritudo, in *Ladislaum* laniabat. Cœpit itaque machinari varios dolos in *Ladislaum*, cujus flagitio deprehensio *Ladislaus* Salamone caput, & in Viſſegrad, in carcerem retrudit.

1083. Sanctus *Ladislaus*, charitate fraternâ motus, Salamone è carcere liberat, paratus eidem iteratò regnum reddere, si is Ducatu suo se frui permittere voluisset, & nisi Procures reclamassent.

1084. Salamone Rex carcere emissus, paucos dies cum *Ladisla* Rege agit, & mox in solitum furorem iracundiæque recidens, ad *Cuteſcum* Chunorum Principem profugit.

2085. Salamone à *Cuteſco* auxilia exorat, eidemque Transylvaniam, jure jurando pollicetur, si in pristinam dignitatem per eum restitui posset. Barbarus ergo hæc inanis spe tractus, coacta ingenti multitudine, in Hungariam erumpit, contra quem *Ladislaus* confestim exercitum cogit, eundem aggredditur, fundit fugatque, *Cuteſco* cum Salamone clandestinâ fugâ sibi salutem comparante.

1086. Rex Salamone rebus sic desperatis, Hungariam infestare præsumere amplius non audens, cum latrunculis Chunorum, Bulgariam & confinia Græciæ invadit, Græci itaque his occurrunt, eosque in fugam vertunt atque in tantum cædunt, ut pauci ex ijs evadere potuerint. Ipse quoque Rex Salamone fugiens, congelatum Istrum sicco pede transiens, hostium manum vix effugit. Cumque venisset ad quoddam nemus magnum, relictis socijs fingens se confestim reversurum, in opacas partes sylvarum abiit, nec unquam amplius comparuit, sed in solitudinem se recipiens, asperam egit pœnitentiam, ac demum Religionem ingressus, in eadem piè mortuus est, ac Polæ in Istria sepultus. Ejus postea reliquiæ 1487. à Loci Episcopo, in al-

tari ab eo consecrato, sunt repositæ, & anno 1657. ibidem inventæ, cum inscriptione: Corpus Sancti Salamonis Regis Confessoris.

1087. Chuni Duce *Copulch*, Transylvaniam priùs deprædati, in Hungariam cum valida manu intrant. Rex *Ladislaus* igitur magnâ celeritate, cum exercitu forti ad eos persequendos properat, quos circa flumen *Temes* invenit, atque ad internecionem usque cædit, ita, ut nemo ex eis evaserit, præter unum servientem, nomine *Escembum*, qui suis cladem referret.

1089. Chuni priorem cladem suorum vindicare cupientes, rursus in Hungariam irrumpunt, quos Rex *Ladislaus*, maturè ad fines Regni ijsdem obvians cum eximio exercitu paratus expectat, & *Acum* Ducem eorum, ad singulare certamen provocans, hunc victor prosternit, illos per copias suas fugat, ac cædit, in tantum, ut Chuni nunquam ampliùs vitâ durante *Ladislai* Regis, Hungariam invadere, vel infestare tentaverint, sed nec valuerint.

1090. Sanctus *Ladislaus* Rex, Expeditionem in Ruthenos suscipit. Causa belli fuit, quòd *Chunos* in se concitassent, auxilia eisdem misissent, comeatûque eos juvissent, quos tamen sibi supplices, ingenuèque culpam fatentes, & imperata se cuncta facturos pollicentes, clementi animo suscipit, ut non tam vi, quàm pietate, hostem sibi perpetuò, conciliârit.

1091. Mox Poloniam ijsdem ex causis aggreditur, Cracoviàmque Regni Metropolim, tertio obsidionis mense, deditioe capit, sicque castigatâ Polonorum perviciâ, Urbem ijsdem spontè restituit, admonendo, ne contempto amicitia jure in posterum quicquam in Hungariam molirentur, quæ se facturos illi sanctè pollicentur. Inde in Bohemiam transit, & quos ibi habebat olim infensos, exactâ injuriarum ultione, multisque in captivitatem assertis, victor cum ditato exercitu, in Hungariam redit.

1092. Sanctus *Ladislaus*, Civitatem *Varadiensem*, ad fluvium *Christum* condit, in eaque insignem Basilicam Divæ Virgini dicat, ac ejusdem loci Episcopatum fundat.

1093. Sanctus *Ladislaus* Rex ob præclaras virtutes, plurimâque gloriosè gesta, multis precibus ad Imperij coronam invitatur, quam tamen is constantissimè recusat.

1095. Conspirantibus Regibus quibusdam, ac Principibus Christianis, ad Terram Sanctam Saracenis eripiendam, Sanctus *Ladislaus* Rex, pro expeditionis sacrae Duce, invitatur ab ijsdem, quod officij genus, hilari fortique animo se suscepturum adpromittit, verùm DEO aliter disponente, dum in Bohemiam pro *Conrado* Duce, injuriosè à *Sentapologo* detruso, in pristinam dignitatem restituendo, exercitum ducit, in ipsis finibus Regni, gravi morbo corripitur, magnòque omnium Christianorum luctu extingvitur, eidemque
succe-

succedit in Regno eodem anno *Colomannus*, Geysæ I. Regis major natu filius.

1096. Exercitus confœderatorum Christianorum Principum, ad Regem *Colomannum* nuncios mittit, obnixè eundem rogando, ut delatum tot Principum nomine, sacrosanctæ expeditionis Imperium, quod *Ladisla*o Regi, paulò ante oblatum fuerat, lubenter accipiat, aut saltem copias suas eidem adjungat. At spe suâ frustrantur, ille enim multa impedimenta causatus, non tantùm obstinatissimè delatum sibi munus recusavit, sed nec ullis copijs expeditionem adjovit, quin & transitum per suum Regnum eisdem nefariè denegavit. Mox tamen sacro exercitu vi viam sibi per Hungariam parante, & re ipsâ aperiante, dum aliquandiu armatâ manu resistit, mutatus in melius, (quòd maximam infamiæ notam sibi inustam inde intelligeret) nullum humanitatis ac hospitalitatis officium prætermittit, eumque pacificè in Orientem transire permittit.

1097. Inter *Colomanum* Regem, & Ducem *Almum*, fraternum bellum iniquorum susurronum malitiâ exoritur, quod tamen sapientiorum Procerum consilio, mox sopitur.

1099. Post hæc Rex *Colomannus*, Russiam hostiliter invadit, cui Ducissa Ruthenorum obviam venit, ejusque provoluta pedibus, cum lacrymis obsecrat, ne gentem illam disperderet; quam tamen is magna cum indignatione calce repellit, quæ vi indignè rejecta, elatis in cœlum manibus, divinam opem ingeminat, diramque repulsam inculat, nec frustra; nam Rutheni, cum auxiliaribus copijs Chunorum, ex improvise *Colomannum* secundâ noctis vigiliâ invadunt, & ad internecionem usque delent, vix ipso *Colomano* cum paucis Nobilibus, fugâ turpi evadente.

1101. *Colomanno* Regi, ex prima uxore, duò filii, *Ladislaus* & *Stephanus* nascuntur.

1105. Northmanni Dalmatiam, quæ tunc partim Veneti, partim Hungarici juris fuerat, infestant.

1106. Veneti igitur cum *Colomanno* Rege sœdus ad repellendos illo Regno Northmannos ineunt. Venit itaque in Dalmatiam *Colomannus* expedito cum exercitu, atque hæc occasione usus, Venetis *Jadram*, aliâque plurima loca eripit, præsidijque communiens in Hungariam redit.

1107. Veneti ob occupationem Dalmatiæ, *Colomannum* graviter inculant, perpetuâque violati sœderis infamiâ notant, quod ipsi sanctè hucusque servassent. Contra ille, se neque sœdus violasse, neque in socios arma sumpsisse, neque detractasse amicitiam constanter asserit, sed suos tantùm recepisse populos, qui hæreditario jure ad se spectabant.

1108. Magnam igitur Veneti classem parant, & *Ordesalum* Ducem, ad recuperandam Provinciam mittunt, qui mox *Jadram* acri obsidione circumvenit, circumventamque oppugnat, ac itidem expugnat, sed mox à superveniente Hungarorum exercitu, cui ipse Rex *Colomannus* præerat, ad *Jadra* moenia, ferè ad internecionem cæduntur, *Ordesalo* Duce occumbente. Profligato autem hoste, Hungari *Jadram* ultrò se dedentem recipiunt, & *Colomannus* pacatà Dalmatiâ, dispositisque ubique præsidijs, prout loci cuiusque conditio postulabat, in Pannoniam se recipit. Veneti post hanc cladem acceptam, per Legatos in Hungariam missos, pacem petunt, atque etiam impetrant.

1109. Dux *Almus* frater Regis *Colomanni*, rursus accersito Polonorum, & nonnullorum Hungarorum auxilio & consilio, novas res molitur, quibus nudatis, Rex *Colomannus* eundem in castro quod occupaverat obsidet, & in sequentem diem cum eo pugnare decernit. Verùm *Almus* humanitate potiùs quàm vi, fratrem vincere statuit: solus igitur patefactâ portâ equo insidens, in Regia castra properat, & cùm ad tentorium Regis venisset, ex equo desiliens, & ad fratris continuo pedes procidens, culpam suam palam fatetur, veniamque pro ijs qui eum temerè secuti fuerant, à Rege supplex deprecatur, ac poscit. Rex verò fraternâ pietate motus, veniam omnibus ultrò concedit, auxiliares copias impunè dimittit, fratremque in Regiam reducit. Hoc tamen aliqui ante bellum cum Venetis in Dalmatia susceptum, gestum fuisse scribunt, quibus & *Bonfinius* adstipulatur.

1110. Dux *Almus*, devotionis ergo Hierosolymas proficiscitur, & re-
dux à Rege pacificè suscipitur.

1111. *Almus* Dux, Monasterium *Demes* construit, ac in venationibus quibus mirè delectabatur, est assiduus.

1112. Dum verò quadam vice in Baconensem sylvam (quæ multis ferarum omnium generibus abundat) venandi causâ venisset, ex occasione ambigua, quædam verba protulit, quæ sine mora susurriones, in alio sensu, & longè aliter Regi *Colomanno* deferunt: Dux igitur sibi timens, rursus in Germaniam profugit. Eodem anno *Colomannus* Rex, secundam duxit uxorem de Russia, quam post, deprehensam in adulterio, in Patriam remisit.

1113. Henricus V. ingenti cum exercitu ad confinia Hungariæ venit, *Almum* Ducem secum adducens, ut ei Regem *Colomannum* reconciliaret, & pacem inter eosdem faceret. *Almus* igitur supplex, præsentem Imperatorem, veniam petit, quam non sine lacrymis eidem *Colomannus* con-
donat.

donat. Abituro verò Imperatori certatim ab utroque gratiæ adjectis mun-
neribus aguntur, & *Almus* cum Rege se in Hungariam recipit, sed non
diù post, pristinâ malorum arte, similtas & suspicio inter eos redintegran-
tur. Unde anno:

1114. *Almus* Dux, jussu *Colomanni*, & filius ejus *Bela* infantulus,
è matris gremio ereptus, excæcatur. *Almus* in Monasterium *Demes*, ab
ipso ædificatum detruditur, sed non sine divina ultione, nam eodem anno
Rex *Colomannus* obit.

Eodem anno 1114. *Stephanus II.* Rex Hungariæ *Colomanni* filius, in
Regem, adhuc adolescentulus assumitur & coronatur, octôque penè an-
nis, alieno ductu, & auspicijs, sapientum nempe Antistitum & Procerum
consilio, gubernat feliciter, deinde initâ tempestivæ virtutis ætate, se in
libertatem asserit, pro libidine sua cuncta gesturus; cùmque belli potius,
quàm otij studijs teneretur, Anno Regni sui 9. & Christi 1122. in Dal-
matiam proficiscitur, ubi vulgò honorificentissimè receptus, provincialium
fidem redintegrat, præsidia oppidatim restaurat, nutantium animos confir-
mat, mox euratâ Provinciâ, in Pannoniam se recipit.

1123. Postquam in Hungariam ex Dalmatia reversus est, in Polo-
nos exercitum mittit, qui sibi & Patri sæpè injurij fuerant; inductus mi-
les longè latèque grassatur, cunctâque igne ac ferro vastat, & abactâ in-
genti prædâ domum redit.

1124. Mox in Bohemos bellum molitur, verùm Optimates contra,
id haud temerè sumendum censuere, quare Bohemorum Ducem in collo-
quium invitandum esse judicârunt, ut in præsentia ultrò citròque injuria-
rum mutuarum suspiciones diluerent; quod tamen colloquium maliciâ u-
nius veteratoris interturbatum est, ac in insperatum prælium erupit, ex utraq;
parte plurimis cæsis.

1125. *Stephanus* Rex, cœlibem hæctenus vitam ducens, ducit in u-
xorem *Roberti Gviscardi*, qui in Apulia & Sicilia latè dominabatur, filiam.

1126. Post hæc in Ruthenos bellum ducit, sed interfecto Duce *Be-
zen*, pro quo restituendø in pristinam dignitatem agebatur, Procerum sva-
su ac consilio, obfirmatæque in contrarium voluntate, exercitum in Hun-
gariam, reducere adigitur.

1128. Nondum tres annos domi requieverat, cùm exacto mox otio,
Poloniam hostiliter invadit, terrore ac tumultu omnia complet, & in pa-
gos ac oppida ferro ignèque grassatur.

1129. Atroci dein bello Bulgariam, ac universam ferè Macedoniam,
cum superiori Mysia infestat, sed à Græcis, priùs navali bello, dein etiam

terrestri, ad *Carasum* fluvium, magnâ clade afficitur, & demum pacem ac fœdus cum Græcis init.

1130. Antistites ac Proceres Hungariæ, cùm Regem liberis carere conspicarentur, inito inter se consilio, *Belam* Ducis Almi filium, pari cœcitate affectum, & hæcenus iu occulto, ac tuto à quibusdam Principibus conservatum, adhuc vivere, *Stephano* Regi patefaciunt. Quem cùm ille ex cœcitate mortuum olim credidisset, ex insperato in maximam lætitiã effunditur, eúmque continuò ad se adduci jubet, ac Regni successorem declarat, atque *Helenam* Regiæ stirpis virginem viri *Macedonis* filiam, eidem in matrimonium collocat.

1131. Decedit ex hac vita *Stephanus II.* Rex, Regni sui 18. anno, in morte Monachalem habitum, in pœnitentiæ signum suscipiens, cui eodem anno succedit *Bela II. Cæcus*, Almi Ducis filius.

1132. *Bela Cæcus* licèt, prudentissimè Regni administrationem inchoat: orbitate namque oculorum, ita se ipse collegerat, ut in consultando, ac deliberando, semper versaretur. Genuit verò ab anno 1130. usque ad annum 1136. circiter, quatuor elegantissimæ indolis filios, *Geyfam*, *Ladislauum*, *Stephanum*, & *Almum*.

Circa annum 1137. Regis edicto, frequens Conventus ad *Arad* oppidum indicitur, in quo cùm Rex sedisset super solium regium, venit Regina cum quatuor filijs suis, & ad Proceres præfata, obsecrat eosdem ut vindictam sumant de ijs, qui excœcationis viri sui fuere causa. Nec mora, populus illicò irruit in eos Barones, quorum consilio Rex excœcatus fuerat, & 68. ibidem ex iisdem crudeliter trucidat. Reliqui Senatus consultò proscribuntur, eorúmque universa bona ad Fiscum rediguntur, ac dein in Ecclesias Cathedrales dividuntur.

1138. Nonnulli Proceres Hungariæ hoc facto, quod tamen Rex improbat, offensi, vel consvetæ sibi instabilitatis & novitatis aviditate ducti, *Borith* Colomanni putatitium filium, ex Polonia ad Regnum capefendum evocant. *Borith* itaque adscito Ruthenorum Polonorúmque auxilio, venit in Hungariam, sed à Rege *Bela* in tantum profigatur, ut pauci cum *Boritho* ex prælio evaserint, cæteri fusi & fugati in rusticorum manus incidentes immaniter trucidati sunt.

1139. Pacato Regno, *Bela* Rex otio se tradit vinóque nimio indulget, unde in hydropim incidens, moritur anno 1141. Idibus Februarij. Corpus Albam Regalem delatum, ubi quatuor liberis superstibus, *Helenæ* conjugæ, honorificè sepultum est. Quo eodem anno *Geysa II.* *Belæ II.* primogenitus, jam à Patre priùs designatus, in successorem omnium Principi-

Principum consensu votisque populorum, in Regni fastigium effertur, cùm necdum ex ephœbis excessisset.

1142. Nondum annum post initum munus exegerat Rex *Geysa*, dum bellum ei, ab Henrico Duce Austriæ infertur. Posonio per Julianum Comitem astu occupato, unde longè latèque incursionibus gravissimè vexabatur Pannonia. Adolescentis animus ingenitâ quâdam magnitudine præditus, haud quaquam his consternatus est. Undique igitur statim colligit copias, & puer, ac tyro licèt adhuc, ipsemet ad castra prodire gestit, & prælio interesse vult, cunctosque milites hortando ad pugnam, animans, insignem reportat de hostibus victoriam.

1143. Post hoc bellum, Pannonias sæva fames invasit, quâ vulgò grassante, maxima pars hominum est absumpta.

1147. *Conradus* Imperator, per Hungariam cum exercitu transit contra Saracenos pugnaturus in oriente, per militem indisciplinatum, haud parvo sacris & prophanis detrimento illato. *Conradum* secutus est *Ludovicus* Rex, qui ubique sanctissimum se piæ militiæ Ducem ostendit, magnâ severitate ducens exercitum, & vim militibus passim inhibens.

1149. *Geysa*, raro amore fratres suos *Ladislauum* & *Stephanum* (nam *Almus* præ cæteris mortem obiit) prosequitur, quos & paternâ & regiâ liberalitate ac indulgentiâ fovet, ac utrumque Ducali dignitate exornat, pro dignitate eisdem proventus, & vectigalia assignans.

1150. Post hæc, Ruthenorum bellum exardescit, contra *Lodomerium* pro *Minoslao* Principe, cujus filiam *Geysa* Rex duxerat. Rex igitur exercitum in Russiam mittit, qui sedato bello, & reposito ad Principatum *Minislao*, non paucis suorum amissis in Hungariam redit.

1152. *Lodomerius* iterum *Minislauum* adoritur, & hic rursus à Genero efflagitat auxilium, Rex proinde ne Socerum periclitantem deserat, comparato exercitu, unâ cum *Ladislao* & *Stephano* fratribus, in Russiam contendit, & *Lodomerium* prælio vincit, ac *Minoslauum* iterato restituit, ac victor Pannoniam repetit.

1154. Saxones Transylvanos Rex *Geysa* magnis privilegijs exornat.

1157. Nitriensem Ecclesiam dotat, & in Cathedralē convertit, delecto primo Episcopo *Edvardo*.

1161. *Geysa* Rex in adversam valetudinem incidit, quâ in dies ingravescente, *Stephanum* primogenitum successorem Regni declarat, dispositisque omnibus, pientissimè obit, pridie Calendæ Junias. Eodem anno *Stephanus III.* prædicti Regis *Geysæ II.* filius, Rex Hungariæ coronatur. Hic statim ubi Regno potitus est, ad regnandum haud quaquam intem-

pestivum se ostendit, nihil sine Senatûs autoritate & Patris amicorum, gerens aut statuens. Triennij dein Regnum immunitate donat, & multa captandæ popularis auræ gratiâ, edicta promulgat, omnium ordinum benevolentiam captans.

1164. Esto verò otium & quietem pro viribus ab initio captare fuerit visus, mox tamen sociorum & Regni causâ in bella descendit. Igitur Anno 1165. eductis multis ex Hungaria copijs, Dalmatiam à Venetis recipere intendit, unde non solum Regionis illius Urbes milite complet, sed ab eo tractu, Venetorum fines longè latèque vexat.

1166. Veneti sub duce *Vitali*, novam in Dalmatiam classem mittunt, *Jadrâmque* expugnant, multis civium cæsis, & parte murorum, à parte maris dirutâ, ut rebellandi ipsidem præriperent facultatem. Hinc cæteri Dalmatæ, metu percussi, Hungarorum præsidia ejiciunt, & ad Emmanuelem Græcorum Imperatorem deficiunt, nec graviter hoc fert *Stephanus*, quando hæc Imperatoris, quàm Venetorum ditione teneri malebat.

1167. *Stephanus* Rex proinde Emmanuelem Imperatorem ultrò Venetorum progressibus invidentem, bonis ac pecunijs magis adhuc incendit, ac Dalmatas clam sollicitat, & clandestinâ arte Jadrenses, Tragurios, & Ragusinos, à Venetorum studijs, ac fide revocare nititur.

1168. *Stephanus* Rex, cum Emmanuelem in persequendis Venetis deferbuisset, & aliò mentem intendisse animadverteret, ipse quoque in re Dalmatica aliquantulum intepescit.

1172. Ladislaus, Regis Belæ II. Cœci filius, vivente adhuc *Stephano III.* Rege, violenter regiam dignitatem sibi usurpat, sed intra sex menses, Regnum ejus cum vita exspirat, Calendis Februarij.

1178. *Stephanus* Ladislai frater, & ejusdem Belæ Cœci filius, pariter vi Regnum Hungariæ, vivente etiamnum *Stephano III.* sibi vendicat, quod tamen pauculis mensibus duntaxat tenuit, paulò post in castello quodam, quod *Zemler* appellant, mortuus, quo eodem anno obiit & ipse Rex *Stephanus III.*

1174. Redintegratâ Pannoniâ, ac sopito bello fraterno per mortem de corona disceptantium: deficientèque prole ex *Stephano III.* Hungari *Belam III.* Stephani Regis fratrem communibus suffragijs, & votis in Regem eligunt. Qui diebus Januarij coronatus Albæ, inter primas curas habet, ut Regnum à latrocinijs, quæ tunc in Hungaria frequentissima fiebant, expurgeret, unde saluberrima hac de re publica condit edicta.

1175. Post edictum, cum sicarij & latrones quàm plurimi, qui diu facinoribus occaluerant, nequaquam se abstinerent, magnâ severitate, extremisque supplicijs eos mulctat.

1176. Crescit post hanc severitatem Regis autoritas, & facinorosi metu suppliciorum, se à latrocinij coërcent.

1177. *Bela* Rex, primus ex Regibus Hungariæ, petitionum, ac precum formulas, ex Imperatorum, Pontificumque more, instituit, & duos precum ministros adscrivit, qui quotidianas petitiones, ei secretò legerent, rescriptaque manu Regiâ, referrent.

1177. Regnum ex omni parte strenuè tutatur, nihil à finitimis admitti permittens.

1178. Circa hæc tempora, tumultuaria, & quasi momentanea, prius cum Polonis, deinde cum Bohemis gerit bella.

1183. Ad omnem occasionem attendit, ut Dalmatiæ maritimam oram, quam Veneti occuparant, occupatamque sæpius amiserant, Hungariæ iterum Coronæ adjungat. Sed id inhibebat Venetorum tunc fortuna, & autoritas.

1188. *Jadrenses* rati jura sua à Venetis lædi, ad *Belam III.* deficiunt. At Rex auditâ defectione, quâ nihil habebat antiquius, comparato magno exercitu, in Dalmatiam illicò concedit, validissimoque præsidio Urbem munit, & nonnulla alia etiam municipia, milite complet.

1189. Veneti mirâ celeritate classem instruunt, ac in Dalmatiam mittunt. Et quidem Insulæ facilè fuère à Venetis receptæ, sed in Urbis expugnatione, quam *Bela* Rex amplo præsidio & comæatu optimè munit, omnem operam perdunt.

1190. *Clemens* Pontifex perbenignè Venetos Hungarosque hortatur, ut unâ cum cæteris Principibus Christianis, pro recuperanda Terra Sancta, arma sua convertant, pace inter se factâ, ac privatis simulatibus depositis.

1191. Pontificij Diplomatis interventu, utriusque partis animi sedantur, ac duorum annorum pacem inter se ineunt.

1149. Pisani, Polam, Venetæ ditionis occupant, quâ re auditâ *Bela* Rex, cum pactas biennij inducias, jam exactas intelligeret, animos pro recuperanda residua quoque Dalmatiæ parte, resumit.

1169. Pisani interim à Venetis atteruntur, paxque inter eos concluditur, & stabilitur.

1194. *Bela* igitur, qui Venetos gravissimis expeditionibus detineri cupiebat, ne quid in Dalmatas molirentur, post pacem inter Pisanos & Venetos confectam, & ipse de expeditione in Dalmatiam suscipienda, curam omnem deponit. Ac demum ingravescente ætate, ac langvore increbescente, humanis rebus excedit, Calendis Maij, relictis duobus filijs, Emerico

merico, & Andrea, quorum ille parenti succedit in Regno, eodem anno. Ubi obiter notandum, Chronologos Hungariæ, hinc aliquantulum aberrare, in computu annorum. *Thuroczius* enim signat, Belam III. Regem obiisse anno 1190. regnâsse verò annis 23. mense uno, diebus 19. successisse autem in Regno Stephano III. Fratri immediatè, qui obiit anno Christi 1173. unde, si is, dicto anno 1190. mortuus fuerit, necesse erat eum duntaxat 17. annis regnâsse. *Bonsinius* è contra, sic de tempore mortis illius scribit: obdormivit autem in Domino Calendis Maij, salutis anno undecenteno, supra undecies centum, hoc est anno 1199. atque recognoscit simul eum immediatè successorem fuisse Regis Stephani III. hunc verò obiisse 1173. unde consequens erat, eum regnâsse annis 26. cum tamen idem author ponat eum excessisse Regni sui anno 23. mense uno, & die undeviceno. Hinc turbatur Chronologiæ ordo, & aliorum duorum subsequentium Regum. Nam *Bonsinius* secutus *Thuroczium*, ponit tempus mortis Emerici Regis, qui Belæ III. successerat, anno 1200. & regnâsse eum ait annis 8. mensibus 7. & diebus sex, cum tamen ab anno 1199, quò mortuum scribit Belam, quovè eidem successit Emericus Rex, ad annum 1200. superesset tantum unus annus. Si verò Emericus Rex mortuus est 1200. & Regnum capeffivit post mortem Belæ, qui (ut scribit *Thuroczius*) obiit 1190. regnâset Emericus minimum 10. annis. Plura similia inconvenientia patebunt ex assignatione annorum, ab ijs in serie Chronologiæ positorum. Unde mutanda eorum series.

Belâ igitur Calendis Maij mortuo, eodem anno successit Emericus, nempe 1197. qui postquam Regium munus adeptus est, omnia Patris, quæ ad coercendos mores, & inhibenda flagitia pertinebant, in usum diligenter revocavit.

1198. *Emerici* Regis Mater Maria, præ nimio divinæ charitatis ardore Domini Sepulchrum visere decernit, ac frequentissimum Nobilium Hungarorum sibi comitatum deligit, sed præter opinionem voto suo frustratur, quandoquidem cum Ptolemaidem appulisset, paulò post itineris langvore confecta, diem obiit.

1199. Rex *Emericus*, audito Matris casu, honorificentissima iusta eidem per totam Hungariam persolvi curat.

1201. Suscipitur expeditio Cruce Signatorum in Palæstinam, quæ, cum pecuniæ deessent ad naves, suppeditantur eadem liberaliter à Venetis, cum hac tamen conditione, ut priùs eosdem juvent *Jadram* in Dalmatia, quæ tunc Hungarici Juris erat, capere, quod etiam illi licet inviti præstitère; ob quòd tam ij, quàm Veneti, à Pontifice sunt excommunicati,

mox tamen absoluti, ne sacra militia, in suo proposito recuperationis Terræ Sanctæ, impediretur.

1202. Interea Fraternalium bellum in Hungaria exoritur: *Andreas* enim frater *Emerici* Regis, quippe qui magnitudine animi præditus, ad maxima quæque anhelabat, ratus ad imperandum se potius, quam parendum esse natum, bellum fratri infert, quod tamen *Emericus* Rex pietate magis, quam armis continuo dissolvit, & *Andreas* veniam apud indulgentissimum Regem, consequitur.

1204. *Emericus* Rex ex hac vita migrat, anno Regni sui septimo, Calendis Decembris. Sepulchro conditus Agriæ.

1205. Succedit *Emerico* filius unicus *Ladislavus III.* qui vix Menses sex & dies quinque in Regno exegerat, cum immaturâ morte subreptus diem obiit, qui ab omnibus deploratur, ejusque exequiæ ab *Andrea* honorificentissimè Albæ Regiæ celebrantur, ac corpus inter monumenta Regum honestè reponitur, cui eodem anno succedit *Andreas II.* Belæ III. filius, ac Regis *Emerici* frater, ac 27. post obitum Nepotis die, Regis insignibus, Albæ insignitur, Quarto Calendas Junij, in ipso Festo Pentecostes.

1206. Rex *Andreas* Uxorem ducit *Gertrudem*, nobili genere Germanorum natam, ex qua quatuor liberos suscepit, *Belam*, *Colomannum*, *Andream*, & Sanctam *Elisabetham*.

1207. Rex *Andreas* sapienter administrans Regnum, præ justitia & integritate sua, per multos annos illud paccatum habet.

1212. Cum sic Regnum omni curâ & vigilantia, sine turbis domesticis, aut bellis externis, in pace retinet, cogitationes de expeditione pro recuperatione Terræ Sanctæ suscipienda resumit, ad quam, dum adhuc esset Dux, à Pontifice incitabatur, & Pater ejus *Bela*, voto se olim obstrinxerat.

1214. Paternis plerumque per noctem manibus sollicitatur Rex *Andreas*, ut Patrem voti nexu obstrictum, per militiam sacram, pro terra *Palaestinae*, in qua Redemptionis nostræ peracta sunt Mytheria, è manibus impiorum liberanda exolveret.

1216. *Honorius* Pontifex, *Innocentio III.* susceptus, *Perusiam*, universos Principes Christianos, & ipsum præsertim Regem *Andream*, ad suscipiendum bellum sacrum contra Saracenos, insensibilissimos Christianitatis hostes, invitat, ac modis omnibus excitat.

1217. *Andreas* Rex, cum ingenti exercitu, in Orientem proficiscitur, & Constantinopolim venit, ibique Legatum Apostolicum inveniens, dum cæteri Duces convenirent, aliquamdiu expectare cogitur.

1218. *Andreas* Rex omnium Principum consensu totius expeditionis Imperator, ad *Damiatam* Urbem castra movet, eamque fortissimo animo obsidet, ac turrim *Phaream* dictam, in medio Nili sitam, potissimum Urbis munimentum expugnat.

1219. Urbem deinde ipsam capit, ac in castris quoque Saracenos cædit, eaque divitijs refertissima diripit.

1220. Interim *Cumani* Hungaris vicini, ad fidem Christi, magna ex parte convertuntur.

1221. *Andreas* Rex à Saracenis circumventus, ob ingentem Nili exundantiam, cujus aquas fractis aggeribus, in castra Christianorum *Sultanus* immiserat, iniquis conditionibus, pacem cum Saracenis inire cogitur.

1222. Redit ex Oriente, & Hierosolymis in Hungariam *Andreas* Rex, (ob iter hoc susceptum, ac bellum pro Terra Sancta gestum, Hierosolymitanus dictus) & Nobilitatem Hungariæ, quæ in hac expeditione cum eo egregiam præstiterat operam, magnis privilegijs ornat.

1227. Obijt hoc anno in Calabria Cruce signatus, ex morbo *Ludovicus* Landgravius Turingiæ, Maritus Sanctæ *Elisabethæ*, & Regis *Andree* Gener.

1228. Sancta *Elisabetha*, à lege viri soluta, depositis gloriæ secularis exuvijs, Ordinem pœnitentium Beati *Francisci* ingreditur, in eoque ad finem usque vitæ perseverat, atque plurimis sanctis operibus se continuò exercens, sui obitûs prædicens diem, DEO spiritum reddit, ipsis Calendis Decembris 1231.

Anno dein sequenti 1232. Corpus ejusdem Sanctæ, in theca aurea, coram *Friderico* Imperatore, multisque Principibus includitur, maximo concursu populorum, ac frequentia miraculorum.

1235. *Andreas* Rex, vix annos quatuor, post felicissimum Sanctæ suæ Filiiæ in cœlum transitum supervixit. & tricesimo Regni sui anno, langvore corporis & animi moritur. Cujus corpus honorificentissimo funere à liberis honestatur, & in Cœnobio *Egres* dicto, conditur. Atque eodem anno *Bela IV.* *Andree* filius major natus, Pridie Idus Octobris, *Albe* in Æde Divi *Petri*, quam ipse consecrari fecerat, ex more coronatur.

1236. *Bela* Rex susceptis Regni habenis, æquitatem & Justitiam retinere ante omnia studet, pacemque cum finitimis singulariter colit.

1240. *Cumani*, cum Duce suo *Cunete* à *Tartaris* pulsî, ad Regem *Belam* confugiunt, quos Rex humanissimè excipit, eisdem in Hungaria amplissimas terras, pro incolendo attribuens, eosque singulari benevolentia complectens, usque ad ipsorumet Hungarorum invidiam.

1241. Vix quinquennium regnando Rex *Bela* implet, cùm Tartari infinitâ multitudine Hungariam invadunt. Contra quos *Bela* Rex, juxta fluvium Sajum, prælians vincitur, in quo prælio, universâ ferè militia Hungarica extinguitur, ipso Rege ad maritimas partes Dalmatiæ se recipiente.

1242. Tartari subjugatâ Hungariâ, tribus annis in eadem morantur, ac tandem ex ea excedunt.

1244. Recedentibus Tartarîs, Rex *Bela* à Comitibus Frangepanis, atque Rhodijs Equitibus, & validissimo Equitatu, & auxiliaribus copijs, in Regnum reducitur, quos Rex posthac, non solum amplissimis privilegijs honoravit, sed & oppidis, & pagis ditavit. Reversus Rex, desolatum Regnum invenit, & quia seminare illis temporibus Hungari non poterant, ideo anno 1245. tanta fames Regnum incescit, ut multo plures post exitum Tartarorum, fame perierint, quam illi, qui in captivitatem ducti sunt, & gladio ceciderunt.

1246. Rex *Bela*, injuriarum insignium, quas à Friderico Austro, tempore excursionis Tartarorum acceperat, non immemor, exercitum suum, & auxiliares copias, è Dalmatia ductas, adversus eundem ducit, mox conferto ad Neapolim Austriæ prælio, atrox committitur pugna, in qua victoria quidem ex parte Friderici stetit, ipso tamen Friderico caso, ac interempto.

1247. Rex *Bela*, confecto hoc bello, in Pannoniam redit, & ad pacandum Regnum, legendasque ejusdem reliquias, animum intendit.

1248. Diu dein in resarciendo Regno versatus, velut in dispersis naufragij fragminibus, ubique terrarum ac gentium, dispersos Hungaros, mirâ pietate disquirat, Urbes ac oppida restaurat, securitatem populis sibi subjectis procurat, pacem cum vicinis colit, ac conservat. Verùm anno:

1260. *Bela* Regi Othocarus Bohemorum Rex bellum indicit, in Moraviam itaque uterque convenit, *Bela* cum Stephano filio, & *Alprâ* Cumanorum Duce eò iverat, cùmque acies utrinque constitissent, collatis signis acerrimè pugnatum est. Ast quia Hungarorum exercitus, plus auxiliaribus copijs, quàm proprijs dimicabat, siquidem ad ultimum ferè exitum Pannoniam bella planè deduxerant, alienis autem auxilijs raro victoria comparatur, quamvis diu atrocissimè ac pari Marte utrinque pugnaretur, novissimè tamen Hungari, multis suorum amissis, terga vertunt, ipsèque Rex castris exutus, profugere cogitur.

1261. Reliquum tempus regiminis sui, *Bela* Rex pacificè exigit. Erat enim vir pacificus, ac ingenitâ probitate præditus, & ad pacem potius quàm bellum natus, ac in prælijs minimè fortunatus. Obijt autem

anno 1275. Nonis Maij, in Insula Budensi, sepultusque est Strigonij, in Ecclesia Fratrum Minorum, quam ipse regio sumptu construi fecerat, & honori Beatissimæ Virginis dicârat, cujus patrocinio servatum se esse sciverat. Succedit eodem anno, Parenti filius *Stephanus V.* patre multò fortunatior. Nam initio statim sui Regni 1276. Othocarum, qui Patrem suum Belam in Moravia superârat, Hungariæ fines invadentem fudit, fugavitque, ut parem pro Patre vicem eidem retulerit. Dein 1277. Bulgariam, quæ ejus Imperium detrahebatur, ita infestavit, ut prædæ multum inde abduxerit, *Bodoque* eorum Metropoli expugnata, Regem Bulgarorum sibi stipendiarium fecerit, cum universâ Mysia. Demum anno:

1278. Excessit humanis, anno Regni sui tertio, in *Magna* ut vocant Insula, atque in Budensis Insulæ Ecclesia Divæ Virgini sacra, tumulatus est. Eodem anno *Ladislavus*, quem *Chunum* deinde Hungari cognominârunt, filius ejusdem, omnium consensu Regnum suscipit, ac ritè coronatur. Et conjunctis armis cum Imperatore Rudolpho I. Othocarum Regem Bohemiæ, in Austria vincit, ac victor in Patriam redit.

1279. *Ladislavus*, ex hac societate, & fœdere cum Rudolpho Imperatore, Regno tantum otij comparavit, ut aliquot annis Regnum pacatum omnino habuerit.

1282. *Oldamir* Cumanorum Princeps coacto exercitu, Hungariam hostiliter invadit, *Ladislavus* audito Cumanorum tumultu, comparatis legionibus, his occurrit, feliciterque cum ijs manus conserit, & gravissimum prælium init. Nam commissâ durantèque pugna, diu ancipiti Marte, subito & inopinatè ex clementia Divina, pluvia grandis exoritur, ac in faciem hostium propellitur, unde *Cumani* terga vertentes, in fugam convertuntur. Quibus insistentes Hungari, hostes passim proterunt, quibus partim caesis, partim captis, domum ovantes redeunt.

1285. *Cumani*, cum ex dicta strage pauci superfuissent, nec amplius Hungaris resistere valerent, ad Tartaros confugiunt, ultionemque suam, iisdem commendant. Quâ re commoti Tartari, vice jam alterâ Hungariam intrant, & instauratos paulò ante pagos, igni ferroque vastant, homines ex more interficiunt, plurimos verò in diram servitutem abducunt, cuncta pecora abigunt, & Pestum usque cuncta depopulantur.

1286. *Ladislavus*, spreto thoro conjugali, Cumanorum filiabus adhæret, & ex his complures pellices intertenet, quarum amore, totum ejus cor depravatum est.

1287. Hinc *Ladislavus* ab Hungaris *Chunus* nominatur, & à suis Baronibus odio habetur.

1289. Ob idem etiam Summus Pontifex, ad Magnatum preces & delationem, Philippum Firmium, Sedis Apostolicæ Legatum, ad Regem mittit. Qui in Hungariam veniens, Antistitum & Procerum rogatu, Regem, primò mitissimis admonitionibus hortatur & orat, ut sanctum & conjugalem thorum colat, concubinas amoveat, nihilque alienum ab Orthodoxa fide agat, post severiùs etiam corripit, ac tandem anathematis pœnas interminatur, nî correctis & castigatis moribus, honestiùs religiosisque vixerit. Cùmque Rex vitij & turpi libidini immersus, ad hæc omnia obsurdesceret, & in dies pervicacior esset, eundem communione fidelium privat, & anathematis vinculo ferit, & cùm neque sic proficeret, desperatis rebus in Urbem redit.

1290. Non multo post tempore, Cumanorum consuetudo eidem perniciofa ac exitialis fuit. Hoc anno siquidem non procul à castello *Kereszeg*, ab ipsis Cumanis, quos in delicijs habebat, circumventus, miserabiliter interfectus est.

1291. *Andreas III.* filius Stephani, filij *Andræ Secundi*, cognomento *Venetus*, qui vivente adhuc *Ladisla*, in Hungariam adductus fuerat, post ejus interitum, omnium suffragijs populorum, Rex declaratur, & coronæ insignibus decoratur.

1292. Aditâ potestate, statim in Austriam expeditionem suscipit, & rem sat feliciter gerit, sed auditâ suorum factione in Hungaria, revertitur.

1293. Redux in Hungariam, factionem suorum comperit, in factiones tamen novo Principi subditos non sævit, sed potiùs connivet, ne à severitate, potiùs quàm clementiâ nomen inchoaret.

1294. Hinc verò magis, conjuratis animi adaugentur, quippe, qui prudentiam patientiâque Regis, pro ignavia interpretabantur.

1295. Conjurati rem suam promovent, & anno 1296. *Carolus Siciliae* Regis filium, à Pontifice Maximo sibi pro Rege efflagitant.

1298. Pontifex non solum Procerum efflagitatione, sed & instigante *Siciliae* Rege impulsus, *Carolus* vix adhuc annum undecimum natum, ijs mittere decernit.

1199. Vivente adhuc *Andræ* Rege, *Carolus*, *Caroli Martelli* Regis *Siciliae* filius, in Hungariam à conjuratis introducit. Interim anno

1301. Rex *Andreas Budæ* moritur. Mortuo verò *Andræ* Rege, Proceres Regni, in duas factiones scinduntur, & pars una *Carolo*, jam priùs è *Sicilia* ad Regnum evocato adhæret, pars verò *Wenceslaum* Ducem *Bohemiae*, *Othocari Bohemiae* Regis, ex *Wenceslao* filio Nepotem, in Regem eligit.

1302. *Wenceslaus*, vix tertium decimum annum ætatis excedens, *Budam*

dam deducitur, ac post Albæ ritè coronatur, ac Rex Hungariæ consalutatur. Unde feditio gravis, discordiæque inter regnicolas redintegratur, dum hi *Carolus*, illi *Wenceslaus* Regem agnoscunt & sequuntur.

1303. Quibus auditis in Bohemia *Wenceslaus* Pater, Gnato timens, ne Hungarorum *Carolo* adhærentium, dolo circumventus occumbat, collecto magno exercitu, in ulteriorem Hungariam descendit, filiûmque *Wenceslaus* unâ cum Regni corona, secum in Bohemiam adducit.

1304. Post *Wenceslai* excessum, *Carolus* res suas promovere studet, necdum tamen rerum potiri valebat, neque Optimates, qui ei suffragabantur, adhuc tantas vires sibi comparârant, ut hunc Regem efficerent, esto cuncti qui eidem adversabantur, interdicto, & excommunicationi à Summo Pontifice subjicerentur.

1305. Imò hinc magis exacerbati illi, qui *Carolo* infensi erant, cum magna Nobilium manu conjurant, & Othonem Bavarix Ducem ad Sceptrum evocant. Qui priusquam in Regnum veniret, coronam Regni à *Wenceslao* ablatam, sibi ab eodem restitui impetrat, quam secum defert, ac eadem Albæ, magno cum applausu populi, coronatur.

1307. Post hæc *Otho* Transylvaniam lustrare statuit, ut se legitimum quoque illius Principem, suâ etiam præsentia testaretur, sed ubi eò perventum est, confestim à Ladislao Provinciæ Vajvoda, haud citra dolum capitur, & in vincula conjicitur, qua ex captivitate expedire se non potuit; donec potestati Regiæ renunciârit, Regnôque se abiturum sponderit.

1308. Cardinalis *Gentili*, cum amplissima potestate, à Summo Pontifice in Hungariam mittitur, ut regnicolis electionem, & coronationem *Caroli* persvadeat.

1309. Idem Cardinalis, severum anathematis edictum, nomine Summi Pontificis, in pertinaces *Caroli* adversarios promulgat.

1310. Tandem *Carolus*, post iteratas preces, & interminationes Summi Pontificis, ab Hungaris communi omnium consensu, Rex acceptatur, & de more coronatur.

1312. Secundo post coronationem suam anno, contra Matthæum Trenchiniensem expeditionem suscipit *Carolus* Rex, & cum eodem cruentum prælium init, quovè crudelius post Tartaricum bellum nullum fuisse Hungarorum Annales affirmant. In eo licèt ex parte Regis plures ceciderint, penes tamen Regem stetit victoria.

1315. Maria prima conjunx Regis *Caroli* natione Polona, Casimiri Ducis filia, vitæ cursum feliciter terminat Themesvarini, & in Æde Virginis Beatæ, Albæ Regalis sepelitur.

1318. *Carolus Rex*, in alteram uxorem ducit *Beatricem*, *Henrici VII. Romanorum Imperatoris* filiam, quæ vix anno uno viro suo convixit, ac mortua, *Varadini* in Cathedrali Ecclesia sepelitur.

1320. Ducit *Carolus Rex* tertiam uxorem, filiam *Ladislai Regis* *Poloniæ*, *Elisabeth* nomine. Ex qua insequenti anno 1321. filium suscipit, cui *Paternum* nomen est inditum. Verùm hic præmaturâ morte præreptus, eodem anno, quo natus est obiit, *Albæ Regalis* sepultus.

1324. Exin tertio post anno, alium filium de eadem Regina suscipit nomine *Ladislau*.

1325. Rex *Carolus*, cœpit ædificare Ecclesiam, *Fratribus Minoribus* in *Lippa*, ad honorem *Beati Ludovici Episcopi Tholosani*, qui fuit frater carnalis sui *Patris*, ac filius *Mariæ Reginæ*, filiæ *Stephani Regis Hungariæ*, filij *Belæ IV.*

1326. Mox anno insequenti nascitur ejusdem Regis alter filius, quem nomine hujus Sancti consanguinei sui *Ludovicum* appellat, ac rursus 1327. alter.

1329. Moritur *Ladislau*, *Caroli Regis* major natu filius.

1330. *Carolus Rex*, cùm in pace justè Regnum administrat, grave periculum vitæ subit *Wissegradi*, nam cum *Regina & prolibus*, à quodam *Feliciano Nobile* graviter vulneratur, percussor tamen confestim à *Satellitibus regijs* membratim conciditur, & familia ejusdem penitus deletur. Dum autem idem *Carolus Vajvodam Walachiæ Bozardum* injusto bello appetit, totum ferè exercitum amittit, & ipse mutato habitu, fugâ elapsus, vix vitam servat.

1332. Post hanc stragem, in infestæ fortunæ lenimen, ipso festo *Sancti Stephani*, nascitur *Carolo* quartus filius, quem *Stephanum* quoque appellari jubet.

1333. Rex *Carolus* filium suum *Andream* sexennem, in *Italiam* ducit ad *Robertum Neapoleos & Siciliæ Regem*, à quo *Andreas*, in ditionum suarum hæredem, desponsatâ eidem nepte suâ *Joannâ*, adoptatur, utpotè sanguine sibi proximè junctus, cùm ipse filio præmaturè mortuo, alio successore careret.

1334. Redeunte ex *Italia* Rege in *Hungariam*, *Joannes Rex Bohemiæ* cum *Caroli* filio, qui postea *Romanum Imperium* sortitus est, & *Casimirus Rex Poloniæ*, *Wissegradum* ad *Carolum*, circa *Sancti Martini* solennia conveniunt, pro perpetuæ pacis concordia componenda, pacto foedere, ut si quenkum ipsorum Regum, vel Regna eorum hostis invaderet, cæteri in eius adjutorium, & juvamen adesse tenerentur.

1338. *Locha* Dux Ruthenorum, *Wissegradum* ad *Carolum* Regem, cum delecto equitatu advenit, postulans ab eodem perpetuam pacem, & vicissim ipse amicitiae officia cuncta promittens. Cujus postulationi *Carolus* benignè annuit, virumque isto foedere honorificè donatum dimittit.

1339. *Casimirus* Poloniae Rex, ad *Carolum* Regem, iterum in Hungariam venit, cum magna Procerum & Antistitum suorum comitiva, qui cum careret filio, *Ludovico* ex sorore nepoti, & *Caroli* primogenito filio, Poloniae Regnum legat, eumque in filium adoptat.

1340. Duobus sequentibus annis, infinita multitudo locustarum, per *Syrmium* Hungariam ingreditur, cunctas segetes, prata, & arbores penitus devastans, ac depascens, solis vineis praeter opinionem, omnino parcens.

1342. *Carolus* post Regnum per 32. annos optimè administratum, dilatatum, contra varios hostes fortiter defensum, non sine nominis sui perpetuam gloriam *Wissegradi* extremum diem claudit, Albæ per quam honorificentissimè sepultus, in Regum monumentis. Peractis exequiis *Caroli*, *Ludovicus* ejusdem filius, Optimatum suffragiis, Rex Hungariae declaratur. Eodem anno, obiit & *Robertus* Neapolis Rex, cui succedit *Andreas* *Caroli* defuncti Regis Hungariae filius, ac *Ludovici* Regis frater.

Vix Comitibus Regni finitis, & coronationis solennitate peracta, *Ludovicus* Rex tunc decimum septimum annum agens, delectu militum habito, in *Transylvaniam* exercitum ducit, ut *Saxonum* eam incolentium frangeret contumaciam, qui detrectabant debita Regi solvere vectigalia. Ubi in *Transylvaniam* ventum est, captis & occupatis plerisque oppidis à Rege, ceteri *Saxones* levitatis & insolentiae pertæsi, redeunt ad debita obsequia. Sed & *Alexander* *Valachiae* *Transalpinæ* *Vajvoda*, qui à *Carolo* Rege quondam defecerat, *Ludovicum* supplex sponte adit, veniam exorat, munera pretiosissima offert, pollicitus se postea imperata cuncta facturum, fidelitatemque perpetuò servaturum.

1343. *Elisabeth* Regina, vidua, *Caroli* Regis, *Ludovici* Hungariae, & *Andreae* Regum mater, habito honorificentissimo selectu matronarum, ac Procerum Antistitumque Hungariae, sacram peregrinationem *Romam*, ad limina Apostolorum visitanda, magna cum devotione suscipit, visitaturam simul *Andream* filium, & *Joannam* ejusdem uxorem.

1344. Regina *Elisabeth*, ex *Italia* in *Hungariam*, in domum suam in *Wissegrad*, in anniversario sui recessus redit, quam Rex *Ludovicus*, & Dux *Stephanus* filij, ac Proceres Regni, cum magna exultatione, & ingenti gaudio suscipiunt. Eodem anno, Rex *Ludovicus* transit in *Poloniam*,

niam, ad Socerum suum Regem Casimirum, cujus filiam jam duxerat, nomine Margaretham, conjunctisque armis statuit invadere Lithvanos Paganos. Cùmque jam parata essent bellico usui necessaria, in Lithvaniam per glaciem lacuum concessere, sed ingruentibus Austris, quibus glacies omnis solvi cœperat, pedem illicò referre, re interclâ, & frustratis viribus coguntur.

1345. Eidem Casimiro Regi, contra Joannem Bohemiæ Regem, in Poloniam irrumpentem, & ipsam Cracoviam Polonorum Metropolim obsidentem, numerosum exercitum submittit, qui Urbem obsidione liberat, & Polonia Bohemico hoste liberatâ, victor in Hungariam redit. Dein triplex bellum intra breve tempus conficit, Tartaricum scilicet, Croaticum, & Dalmaticum, atque Tartaros à finibus Transylvaniæ repellit. Croatiæ Principes Gregorium, & Neleptium rebellionis primipilos, ad præstandum fidelitatis officium revocat, sed in Dalmatia, contra Venetos parùm feliciter pugnans, in Hungariam redit. Eodem anno 1345. Andreas Rex Neapolitanus, *Ludovici* Regis Hungariæ frater, insolentiâ suorum, ac fortassis ipsiusmet etiam Joannæ uxoris ejusdem perfidiâ, strangulatur.

1346. Jussa Summi Pontificis Clementis VI. ac Comitum Novelli, Regis Andree cognati operâ, atrox supplicium, de complicibus mortis Andree sumitur. Verùm his non contentus *Ludovicus* Rex, ipsam Joannam Reginam, ut sceleris consciam, in jus vocat, armisque mortem fratris vindicare statuit.

1347. Joanna Siciliæ Regina, vidua Andree Regis, nubit Ludovico Principi Tarentino, at cùm videret accedere cum copijs *Ludovicum* Hungariæ Regem, mortis Andree vindicem, fugit cum marito Avinionem.

1348. Rex *Ludovicus* per omnes Italiæ quas transibat Urbes honorificentissimè susceptus, *Aversam* venit, Neapolitanam Urbem intrat, ubi cum magna solennitate excipitur, ac titulo Regnorum Hungariæ, Hierusalem, & Siciliæ utitur, & Carolum Dyrhachinum eodem loco, quò frater ejus Andreas necatus erat, cœdi jubet, ejusque fratres, aliisque Principes, vinculis constrictos, in Hungariam mittit. Dein

1349. *Ludovicus* Rex ordinatis Regni Neapolitani rebus, & munitioribus locis præsidijs validis impositis, in Hungariam ovans redit, relicto ibidem cum militaribus copijs Stephano Transylvaniæ Vajvodâ, ad tumultus si qui exorirentur, componendos.

1350. Vix *Ludovicus* Rex in Hungaria ex itinere quietem cœperat, Joanna Regina cum Ludovico marito Neapolim redit, quibus complures

ex Neapolitanis adhærentes, præsidium *Ludovici* Regis ex Urbe pellere nituntur, & Stephanum Transylvaniæ Vajvodam varijs prælijs infestare præsumunt. Redit igitur Rex *Ludovicus* rursus in Italiam, ac totum propè Regnum Neapolitanum recipit, bis tamen in expugnatione Urbium periculum subit. Demum ad interpositionem Pontificis, pacem eâ lege concedit, ut vocaretur in jus Joanna Regina, de viri *Andræ* Regis nece, ac si illa Apostolicâ sententiâ rea comperiretur, Regnum Siciliæ *Ludovico* à Pontifice traderetur, sin autem à crimine absoluta pronunciaretur, omnes Urbes ac Arces, quas *Ludovicus* in suam potestatem redegerat, Joannæ restituerentur, refusus ab ea Hungaris, ob belli sumptus trecentis aureorum millibus. His sancitis *Ludovicus*, Apuliâ discessit, & primò Romam ad Apostolorum limina, & alia sacra Urbis loca lustranda, promerendamque criminum expiationem, Jubilæum lucraturus, deinde in Pannoniam se contulit.

1351. Joanna Neapolis Regina, in jus à Pontifice, ob necem *Andræ* Regis vocata, innocens declaratur, assensit & *Ludovicus* Rex huic Pontificio Decreto, (ad eò insignis in eo erat erga Pontificem observantia) & Siciliæ, ac Neapolitano Regno, pacem à se restitutum iri pollicetur. Eodem anno Casimiro Regi Poloniæ, auxiliares copias contra Tartaros submittit, quæ hoste profligato, & Duce eorum *Keystuto* capto, feliciter in Patriam reversæ sunt.

1352. Restitutâ sub præscriptis à Pontifice, inter Joannam & *Ludovicum* Regem, in Regno Neapolitano pace, *Ludovicus* omnes Urbes & Arces Joannæ remittit, Salernitano duntaxat Principatu, quem Avus & Pater, tum ipse etiam jam priùs possiderat sibi retento, quin & trecenta illa aureorum millia, quæ eidem Joanna ob sumptus belli factos, refundere ex pacto debuisset, eidem liberalitate magnâ remittit, professus Hungariæ Regem non auri cupiditate, sed justissimâ vindictâ *Andræ* fratris necis vindicandæ voluntate, ad bellum concitatum, sed & Principes ante triennium captos, & Vissegradi detentos in captivitate, liberos permittit, & usque Venetias cum securo conductu honorificè deduci curat.

1353. *Ludovicus* Rex, à Venetis erepta Coronæ Hungariæ in Dalmatia complura loca, per Legatos repetit, & recusantibus bellum indicit, sed ad interpositionem *Caroli IV.* Romanorum Imperatoris, à bello iisdem inferendo, hoc anno adhuc abstinet.

1354. *Ludovicus* Rex, Stephanum Rasciæ Despotam, aggressus vin-

cit, & capit, mox tamen illum liberum permittit, cùm is simulatè cum Pontifice agens, de repetendo Ecclesiæ gremio, ac damnando schismate consilium se sumpturum adpromiserit.

1355. Rursus Rex *Ludovicus*, apud Venetos per suos Oratores, pro restituenda Dalmatia instat, dùmque res diu Legatis & litteris ageretur, nec quidquam concluderetur, armis dirimendam litem ratus. Itaque:

1356. Cum quadraginta & compluribus hominum millibus Adriaticum agrum inundat, plurimèque loca à Venetis per deditionem capit.

1358. Veneti à *Ludovico* Rege pacem exorant, & tandem huic Dalmatiam & Jaderam, multorum bellorum causam relinquere compelluntur.

1357. Antequam tamen exercitum è finibus Venetorum *Ludovicus* Rex reduceret, Pontificem, adversus Tyrannos, qui ditiones Ecclesiasticas in *Flaminio* oppresserant, egregiè juvat.

1359. Cùm Rasciani schismatici, ante paucos annos, mediante Pontifice, ad quod Ecclesiæ unionem adpromississent, *Ludovici* manus evasissent, neque factis promissa comprobarent, *Ludovicus* jam à Pontifice, Dux sacri belli contra Schismaticos constitutus, bellum suscipit, & mense Majo trajectu potitus, Rasciam victorijs percurrit, ac victor in Pannoniam exercitum reducit.

1360. Innocentium VI. Pontificem Maximum, pro asserendo Romanæ Ecclesiæ Imperio, contra *Bernabonem*, Vice-Comitem Mediolanensem, adjuvat, missis ad eum Legatis, per quem eum minis ac imperijs deterrebat à coeptis.

1361. Idem Innocentius, Ægidium Cardinalem mittit in Hungariam, qui *Ludovicum* Regem, ad suscipiendam Romanæ Ecclesiæ clientelam, tuendaque illius jura excitaret; sed alia agitantem tunc consilia, ad id adducere is non valuit.

1362. Obijt hoc anno *Ludovicus* Neapolitanus Rex, ætatis quadragesimo secundo, nullâ relicta prole ex *Joanna*, olim *Andræ* Regis, & fratris *Ludovici* vidua, & hæc tertio marito nubit *Jacobo* *Belcaricæ* stirpis Principi, inopi ac profugo, hæc tamen lege, ne sibi Regis *Siciliæ* nomen unquam usurparet.

1363. Quibus tamen conditionibus postea detractat stare *Jacobus*; at illâ cedere nolente, relicta uxore abiit in Hispaniam, sub *Petro* Rege *Castellæ* stipendia facturus.

1364. *Urbanus* V. preces repetit apud *Ludovicum* Regem, qui sub *Innocentio* Ecclesiæ Signifer creatus fuerat, ad debellandum *Bernabonem*, ad quod *Ludovicus* paratum se offert. Unde is ad pacem cum Ecclesia inclinat, eamque inicit.

1366. Joannes Palæologus, Constantinopoleos Imperator, in Hungariam Budam ad *Ludovicum* Regem venit, Sacramento unâ cum filijs obligans se, unionem cum Ecclesia Romana initurum, si is cum reliquis Principibus Christianis, Græcorum Imperium adversus Turcarum sævitiam, defendendum susciperet, quibus egregijs promissis, pius Princeps delinitus, & Divinæ gloriæ propagandæ studio accensus, ad retundendos Turcarum impetus, ac vicissim Palæologus, ad unionem amplectendam, se obstringunt, atque Oratores suos, ad Urbanum mittunt, ut hæc Apostolicâ confirmaret autoritate.

1367. Rex Poloniæ Casimirus in Russiam expeditionem suscipit, magnâque illius partem occupat, acceptis à *Ludovico* Rege etiam, auxiliarijs copijs.

1368. In Bosnia, cùm Religio in dies effloresceret, senior frater Bajus schismaticus, fratrem Stephanum Catholicum persequitur, qui mox confugiens ad clientelam *Ludovici* Regis, auxilium ab eo implorat, & in petrat.

1370. Urbanus VI. ad ferenda Palæologo Constantinopolitano Imperatori auxilia contra Turcas Christianos Principes excitat, & specialiter illam causam *Ludovico* Regi commendat. Eodem anno, moritur Casimirus Rex Poloniæ, & *Ludovicus* eidem succedit in Regno.

1371. Gregorius XI. Summus Pontifex, contra Bernabonem, ditionum Ecclesiasticarum invasorem, auxilia à *Ludovico* Rege, pro eorundem defensione implorat.

1372. Invalescente formidabili potentiâ Turcarum, qui post deletos insigni prælio Græcos, Rasciæ ac Valachia jam imminebant, idem Gregorius Papa, eundem *Ludovicum* Regem Hungariæ ac Poloniæ, utpote viribus & bellicâ virtute pollentem, ut expeditionem in Turcas sumeret, multis argumentis incitat, ac invitat, pericula exponens, quæ imminerent Pannoniæ, ni maturè ad eorundem conatus elidendos profiliret.

1373. Potiti ingentibus victorijs Turcæ, atque Epiro & Macedoniâ in lævam Tyrannidem, majore ex parte redactâ, attritisque Græcis, Rascijs, & Bulgaris, Hungariam quoque terrent, sed cùm suam potentia *Ludovici* Regis imparem esse metuerent, foedus cum Tartaris ineunt, & eosdem contra eum incitant. Quibus *Ludovicus* auditis, ad propulsandos barbaros se comparat.

1374. Contundere poterat Turcarum tyrannidem *Ludovicus* Rex, sed nescitur quibus ex causis à proposito resilire, quin & ad foedus commune Principum Christianorum, accedere detrectat.

1375. Rursus Pontifex Gregorius XI. ad ferendam Græcis opem

Ludo-

Ludovicum sollicitat, neque tamen is momenti Christi Vicario, cum maximo rei Hungariæ detrimento, obsecundat.

1378. Moritur Gregorius Pontifex, cui succedit Urbanus VI. contra quem nonnulli Cardinales, Clementem VII. eligunt. Hinc distracti sunt Principes, his uni, alijs alteri faventibus, Rex tamen *Ludovicus* constanter Urbano, qui postea semper habitus est pro vero Pontifice, adhæret.

1379. Considerans *Ludovicus* Regna sua ac ditiones circumquaque statu tranquillo florere, sese à negotijs publicis tractandis retrahit, reliquumque vitæ, operibus pijs insistens, & orationibus vacans studiosius impendit, ac tandem 1382. ætatis suæ 56 Regni 40 relicto subditis magno sui desiderio, ex hac vita migrat 11 die Septembris, sepultus Albæ Regali, in Capella, quam ipse in latere Ecclesiæ Beatæ Virginis Collegiatae construxerat, succedit ei Maria filia, ob merita Parentis non Regina, sed Rex salutata, sub tutela matris Elisabethæ, Sigismundo Marchioni Caroli IV. Imperatoris filio, adhuc impuberi, & genitore tunc adhuc in vivis agente, tali pacto desponsata, ut dum Virgo nubiles perveniret ad annos, eundem ex sponso maritum, & Regem simul faceret, quæ conditio universis Regni nobilibus placuit, & ab omnibus acceptata fuit.

1383. *Maria* Rex, & mater Elisabetha Regina, ob administrationem Regni, per Nicolaum de Gara Palatinum, regnicolis nimis imperiosam ac duram, apud Proceres odium grave incurrunt. Unde ij foemineum, ac puellare dedignati sceptrum, consilia de novo Rege introducendo, inter se agitant.

1384. Consilij inter se sic agitatis, conveniunt ut Carolum Siciliae Regem, Andreae Regis, & fratris Ludovici Paris, Mariæ Reginae filium, ad sceptrum Hungariæ Coronæ evocent, ad quem missis Abligatis in Apuliam, eidem sceptrum Hungariæ deferunt, qui inexpectatâ hâc colatione, mox ad petita flectitur, & necdum bene firmato Regno Siciliae, in Hungariam ire decernit.

1385. Carolus igitur ex Sicilia in Hungariam proficiscitur, reclamante licet uxore Margaretha, eique Regni Siciliae curâ commissâ, relictoque illi in solatium Ladislao filio, & Consiliarijs Regni Neapolitani. Quo audito mater Elisabetha, & filia *Maria*, pactas olim à parentibus nuptias, cum Sigismundo accelerant, & Caroli consilia interturbant. Recedit tamen in suam Bohemiam Carolo impar Sigismundus, & Carolus Proceribus sibi conciliatis, & populo spe ac promissionibus illectis, in Regem Hungariæ coronatur.

1386. *Carolus* Rex Hungariæ simul & Siciliae, auctore Nicolao Gara, à

râ, à Blasio Forgachio graviter ictus in capite, traditur in carcerem, in quo miserabiliter paulò post perit. Post hæc Elisabeth mater, cum Maria filia, & Nicolao Gara, omnia tuta credentes, dum invifunt inferiores Regni partes, sine militum præfidio, ab Horvatho Croatiæ Præfecto, invaduntur, & capiuntur. Gara & Forgachius repugnantes fortiter, trucidantur, Elisabetha Regina, in flumen demerfa, submergitur, Maria in captivitate ab eodem trahitur. At Sigismundus postmodum in Horvathum expeditionem fufcipit, eumque cum præcipuis perduellionis capitibus capit, ac per vicos Urbis Quinque-Ecclefiensis circumductum candidibus forcipibus minutatim concidit. Atque eodem anno in Regem Hungariæ coronatur.

1387. *Sigismundus* Rex, Regnum perturbatum, à turbulentis Proceribus, ordinat ac pacat, & urgente multum uxore, de complicibus barbarum vindictam fumat.

1390. Quarto anno à fua coronatione, expeditionem in Moldaviam ac Walachiam fufcipit, Principesque earum Regionum, quæ sub Maria recesserant, in ordinem redigit, & tributa folvere cogit.

1392. Rebellant rurfus Walachi, & ut fe defendant, validam Turcarum manum conducunt. Rurfus igitur *Sigismundus* in eos movet, & fugatis hoftilibus copijs, Nicopolim castrum obfidiõne cingit, & expugnat, ac præfidio Hungarico firmat, jugoque genti impofito, cum triumpho felix in Hungariam redit. Necdum tamen redierat, cum Regina Maria, gravi præventa ægritudine, Regnum pariter ac vitam reliquit, magno *Sigismundi* dolore.

1393. Ladislaus Poloniæ Rex, contra *Sigismundum* Regem copiofum exercitum movet, ratus ad fe pertinere Hungariæ Regnum, utpote cum haberet Hedvigem uterinam sororem Mariæ Reginæ defunctæ, fed repertiens confinia multo armatorum cœtu munita, regreditur.

1394. Excursio prima Turcarum in Hungariam per Syrmium.

1395. Triginta duos Nobiles præcipuos tumultuantes, Regnumque turbantes, & deprædantes, *Sigismundus* capit & necari jubet, ob quod aversionem apud Hungaros incurrit.

1396. *Sigismundus* Rex laturus opem Græcis, contra Bajazethem Turcarum Imperatorem, Constantinopolim obfidentem, per Walachiam exercitum ducit. Quod cum audiffet Bajazethes, relicta tantisper obfidiõne, *Sigismundo* ad Nicopolim occurrit, atque commiffio cum illo prælio, eundem vincit, ipfo *Sigismundo*, amiffio exercitu vix fugâ elapfo.

1397. *Sigismundus* re malè gefta in prælio, fugitivo fimilis, altas

Dadu-

Danubij & æquoris per undas remorum officio navigans, & ad Dalmatiæ ac Croatiæ oras perveniens, in iisdem partibus maritimis demoratur, ac tandem in Hungariam redit.

1398. Interea nonnulli Procères contra Sigismundum clam conspirant, & Ladislaum Caroli Regis Neapolitani filium, ad Regni Hungariæ habenas capeffendas invitant, qui tamen miseram sui Genitoris sortem animo revolvens, cunctatur.

1401. *Sigismundus* Rex, à suis capitur, & in custodiam detruditur, evocato, & post multas cunctationes, tandem assentiente Ladislao, qui Jaderam venit, ibique quò res pergerent, opperitur.

1402. *Sigismundus* interim, vinculis solutis, à matre fratrum duorum Gararum Hungariæ Magnatum, quibus custodia Regis commissa fuerat, in Bohemiam se recepit. His auditis Ladislaus Dalmatiæ Urbe Jaderâ Ventic venditâ, Neapolim redit.

1403. Rex *Sigismundus* ex Bohemia cum exercitu in Hungariam venit, & Regnum occupat.

1405. *Sigismundus* Rex ultionem de suis proditoribus sumpturus, non statim post reditum, delinquentium in personas, gravi vindictâ utitur, non enim in ipsorum personam sæviebat, sed tantum prædia ipsorum auferebat, & suis collocabat fidelibus.

Circa annum 1406. Conventum postmodum Udvarhelyi Regnicolis indicit, in quo Stephanum Vajvodam, conjurationis contra Regem factæ caput, illico captivari, ac mox capite plecti jubet, reliquos ejusdem complices, alios morte, alios exilio mulctat.

1407. *Sigismundus* Rex, expeditionem in Turcas parat, optimam occasionem rei bene gerendæ nactus, ditiones à Corona per eos divulgas, ad sceptrum Hungaricum revocandi, cum post Bajazethem à Tamerlane captum, extinctumque, Turcæ in civile bellum conversi, ferrum in mutuas cædes acuerent, quæ tamen intentio postea non habuit effectum.

1408. Sublato Stephano Vajvoda, ejusq; sodalibus, quieto potitur sceptro.

1410. Communibus suffragijs Electorum, *Sigismundus* ut Marchio Brandeburgicus, in Regem Romanorum eligitur.

1413. Gliscente Hussitarum in Bohemia hæresi, Joannes Papa XXII. & *Sigismundus* Rex Romanorum, Cremonæ convenientes, generale Concilium ad pestem hanc exstingvendam indicunt.

1414. Constantiense Concilium inchoatur, cui interest etiam ipse *Sigismundus*, jam coronatus Rex Romanorum.

1415. Condemnatur Joannes Hufs à Concilio Constantiensi hæresis,

& vin-

& vincetus, à sacris Ordinibus degradatus, sæculari potestati traditur, ac vivus comburitur, ipso *Sigismundo* Romanorum & Hungariæ Rege, sententiam condemnationis ac supplicij approbante.

1416. *Sigismundus* Constantiã transit in Galliam, ubi magnificè suscipitur, transit deinde etiam in Angliam, ut dissidentes hos Reges componeret, venit etiam in Hispaniam, ad colloquium cum Ferdinando, & Petro de Luna faciendum, & schisma tollendum.

1418. Hoc anno Concilio Constantiensi finis imponitur, quod tribus annis & sex ferè mensibus tenuit, de quo *Sigismundus* gloriam etiam in terris retulit immortalem, utpote Concilij hujus author, promotor, ac strenuus propugnator, per ejus tamen nimiam clementiam Hæresis Hussitarum augetur magis.

1419. Moritur interea Venceslaus Bohemiæ Rex, in omni vita sua, sed vel maximè in sopienda Hæresi Hussitarum ignavus, cui jure sanguinis succedit *Sigismundus*.

1420. Nimium invalescunt Hussitæ in Bohemia, Ziscã qui de monoculo in obsidione Urbis fuerat factus cæcus, Duce, cum quibus congressus Imperator vincitur, coronatur tamen Bohemiæ Rex.

1421. *Sigismundus* iterum cum Hussitis congregitur, iterumque ab ijs vincitur.

1422. Hussitæ contra *Sigismundum* conspirantes, Regnum Bohemiæ Vladislao Regi Poloniæ primo, ac dein etiam Vitondo Duci Lithvaniæ offerunt, qui tamen illud recusant, dicentes prohiberi se conscientiam Hæreticis favere, vel illos in fidem accipere, præterquam quod scirent Bohemiam jure hæreditario ad *Sigismundum* spectare. Celebratur Conventus Ordinum Imperij Norimbergæ, in quo à Cæsare & Principibus bellum, ad extremam Hæreticorum interneccionem decernitur.

1423. In Hussitas sacra expeditio à Cæsare & Principibus Imperij paratur.

1424. Bellum Hussicum magnâ utrinque atrocitate geritur. Ziscanefariorum sectariorum Dux moritur.

1425. Georgius Despotes Belgradum, in signum singularis fidelitatis *Sigismundo* Regi cedit, cui vicissim *Sigismundus* complures arces & oppida, dignitati ejusdem sufficientia donat, ac tradit.

1426. Hussitæ Monasteria & templa dirè vastant, atque despoliant, & nostros iterum vincunt.

1427. Operâ Martini Papæ, ac *Sigismundi* Imperatoris, rursus exercitus contra Hussitas ducitur, qui tamen nec conspectum hostijs sustinet.

Hussi-

Huffitæ interim grassantur in Germania, licet inter se dissidentes, ac divisi in tres factiones, Thaboritarum, Pragensium, & orphanorum, & in Catholicos præcipuè sæviunt.

1428. *Sigismundus* hoc anno expeditionem suscipit in Turcas, sed parùm feliciter; nam trajecto Danubio cum parte una copiarum, eandem Barbaro concidendam objicit.

1429. Perseverant hoc anno etiam Huffitarum grassationes, qui tripartito agmine, Hungariam, Poloniam, Austriam, hostiliter infestantes, magnam illis Regionibus vastitatem inducunt, *Sigismundo* cunctantiùs contra eos rem agente.

1430. Clades ingentes inferunt Huffitæ Catholicis, in Mysnia, atq; Lusacia.

1431. Paratur grandis exercitus à *Sigismundo*, ex Comitibus generalibus Norimbergæ habitis, adversùs Huffitas, qui hoc tempore Silesiam, & Austriam crudeliter divexabant, quæ expeditio partim infelix, partim sat prospera fuit. Nam Fridericus Marchio Brandeburgicus, dum primò bene rem gerit, audito postmodum cum majoribus copijs eorum adventu, nimio terrore correptus, diffuere copias suas passus est. Albertus è contra Austriæ Dux, feliciter contra eosdem in Austria pugnat compellendo illos se submittere, & definitionibus futuri Concilij Basiliensis acquiescere.

1432. *Sigismundus*, defensionem Concilij Basiliensis zelosè suscipit, illudque strenuè promovet, ad quod invitati sunt Huffitæ, iisque litteræ securitatis datæ, quas *Salvi conductus* vocant.

1433. *Sigismundus* in Italiam proficiscitur, & Romæ ab Eugenio Pontifice, in Basilica Vaticana, Augustalibus insignibus, & aureâ Coronâ redimitus, in Imperatorem creatur.

1434. Subortâ discordiâ inter Huffitas, cœsisque Orphanorum, & Thaboritarum Hæreticorum reliquijs, *Sigismundus* Rex Bohemiæ, tam à Catholicis, quàm reliquis Huffitis, in Conventu Ratisbonensi, ubi tunc idem Imperator versabatur, agnoscitur.

1435. Dum *Sigismundus* restaurare pergit Imperium, gener ejus, Albertus Austrius, cum Hungaris adversùs Turcas feliciter pugnat, cœsis Barbarorum octodecim millibus.

1436. *Sigismundus*, Iglaviæ in Moravia conventum celebrat, præsentente Genero Alberto Austriæ Duce, in quo Rockyfana præcipuus Pragensium Doctor, cum alijs sectæ suæ Presbyteris, nomine totius Cleri obedientiam Sedi Romanæ professi sunt, omnesque Bohemi anathemate soluti, & pax diu exoptata, tandem inita est.

1437. *Sigismundus* aliquot Bohemos Hæreticos mulctat, plures immit-

immittit cum Hungaris in Turcas, & hi Turcis magnas intulere clades, multis tamen etiam ex suis amissis, qui sive vincebant, sive vincebantur, victoriâ simul & clade suorum proficiebat *Sigismundus*, per victoriam triumphans de Turcis hostibus, per funera Hæreticorum, liber à perduellibus. Atque eodem anno Znojmx in Moravia moritur, sexto Idus Decembris, ex Paralyfi, annos natus 70. Regni Hungarici 51. Romanorum 27. Bohemici 27. Imperij 5. Sacramentis rite munitus. Pro voto suo, Vradini ad Sanctum Ladislaum, cui devotissimus erat, sepultus est.

1438. *Albertus II.* Archidux Austriae, designatus à Sigismundo Rex Hungariae, filiae ejusdem Elisabethae maritus, eodem anno triplici Coronâ insignitur, Albæ Regalis, in Regem Hungariae, Calendis Januarij, Pragæ in Regem Bohemiae, tertio Calendas Julij. Francofurti in Regem Romanorum, decimo tertio Calendas Aprilis.

1439. Idem *Albertus II.* dictus Honorificus, correptus dissenteria, ex esu peponum, moritur in Hungaria, Regnorum & Imperij, anno 2.

1440. Alberto Rege mortuo, per imprudentiam scæmineam turbatum est Regnum Hungariae, quæ relicta cum duabus filiabus, & prægnans, parere timens scæminam, hortata est Hungaros, ut alium sibi Principem in Regem eligant, scæminâ, magis ad gubernandum Regnum idoneum. His persuasi Proceres Hungariae, Vladislaum Ducem Lithvaniae, Regis Poloniae fratrem, in Regem eligunt. Sed cum postea filium peperisset, (qui in Baptismo nomen Ladislai suscepit) Regnum pro eo servare voluit. Unde magnæ & perniciosæ ortæ in Regno seditiones. Pars enim Hungarorum Vladislao recens electo adhæsit, pars infanti Ladislao. Interim antequam Vladislaus in Hungariam venisset, Regina Elisabeth, cum parte suorum Baronum, Albam Regalem petit, filiumque suum, qui nondum quatuor suæ ætatis impleverat menses, inungi in Regem, pariter & coronari facit, atque imminente Vladislao, in Austriam, in Friderici Cæsaris tutelam, unâ cum filio, & sacrâ Coronâ clam surreptâ, se recipit.

1441. Adducitur & Vladislaus in Hungariam, Budæque magnificè recipitur, & in defectu Coronæ ablatae, coronationem per impositas Sancti Srephani ex capite reliquias, admittit.

1442. Gliscensibus sic inter Hungaros dissidijs, Amurathes Belgradum obsidione cingit, sed post septimestris spatium, obsidionem re infectâ solvere, à Joanne Hunyade Vajvoda Transylvaniae turpiter cogitur, cæsis Turcarum triginta millibus, captis quinque millibus.

1443. Hunyades auspicijs *Vladislai*, alterâ vice cum Turcis congressus, eorum triginta millia cædit, cæteris partim captis, partim fugâ dilapsis, ad

plis, ad centum millia. Hinc ad fines Thraciæ & Macedoniæ procedit, ac Carambajum Præfectum Asiæ capit, ejusque copias grandi clade delet. Interea Regina Elisabeth obiit, cujus mors plures ex Magnatibus illam sequentibus, ad *Vladislav* partes traduxit. Eodem anno Amurathes impetrat pacem, ab *Vladislavo* valde æquis conditionibus.

1444. Christiani hoc anno, contra Turcas ingens bellum parant, foedusque inter se ineunt, ad quod invitatus etiam *Vladislavus* Rex Hungariæ, eidem nomen dare, ob recens factam pacem, cum Amurathe, tergiversatur, sed demum (svadente Juliano Cardinali, pacem abrumpit, occurrit eidem Amurathes, ad *Varnam* oppidum, pugnatur utrinque acerrimè, ac diu anceps fluctuat victoria, sed demum Christiani cæduntur, & ipse Rex *Vladislavus*, fortissimè in prælio dimicans occumbit, cum multis Episcopis & Baronibus, Julianus quoque Cardinalis à latronibus trucidatur, Hunyades plures servare cupiens, ægrè evadit.

1445. Cæso *Vladislavo*, Hungari *Ladislavum* Posthumum Alberti filium, quinquennem, in cunis coronatum, in Regem eligunt, & Joannem Hunyadem, interim pro Governatore Regni constituunt.

1446. Hunyades pacificè Regnum gubernat, mox tamen anno insequenti:

1447. Sacrum Diadema, quò Reges Hungariæ coronari solent, Puerulumque Regem, qui jure naturæ, Regno dominari debebat, conventu cum Magnatibus, & Regnicolis habito, à Friderico Romanorum Rege, priùs per Legatos, ac dein etiam armis repetit. Pluribus itaque armatorum agminibus compositis, Carinthiam Styriamque vastat, ac depopulatur, nec sic tamen Fridericum ad restituendum *Ladislavum*, & Coronam Hungaris flestit.

1448. Idem Joannes Hunyades, ignominiam ad *Varnam* acceptam abolere cupiens, ingentem cogit adversus Turcas exercitum, sed prodicione Georgij Despotæ præventus est ab Amurathe in campo Merula, seu Rigo mezd dicto, in Rasciæ & Bulgariæ finibus, & licet imparibus copijs, certamen tamen non detraxit Hunyades, acerrimè igitur tribus diebus pugnatum est Hungaros inter & Turcas, tandem victoria stetit penes Turcam, cæsaque magnâ parte Procerum, & Nobilitatis, victi sunt Christiani; cæsa in hoc prælio Christianorum octo millia, Turcarum 24 millia. Fugit etiam ipse Joannes, ut magnum Ducem suis servaret, & in fuga jussu Georgij Despotæ est retentus, à quo dimissus non est, nisi dato obside *Ladislavo* majore natu filio.

1449. Post hanc cladem acceptam, aliquantisper quievit Hunyades, ast anno:

1450. In debellationem & extirpationem Bohemorum, graviter Regnum opprimentium, reliquorumque deprædatorum, totus incumbit. Contulerat siquidem Regina Elisabetha post mortem Alberti Regis, Zolienſe caſtrum, nonnullasque munitiones, cuidam Joanni Gizkræ Bohemo, homini rapinæ avido, qui, cum Barones in ſe ſævire vidit, mox prædabundus, totam circumjacentem deprædabatur terram, cunctaque occurrentia rerum direptione, incendiôque vaſtabat. Sed & Pancratius Lyptoviensis Comitatus incola, ac Petrus Komaromsky, alijque Bohemi, Poleni, ac Sclavi, quos præda delectabat, aggregato milite muniti, omnem vim ſuam: in Regni deprædationem converterunt. Erat & aliud genus latro- num, ex collectio, & gregario milite, qui ſe *Bratrik* vocitabant, hi conſtitutis inter ſe Capitaneis, varias Regni partes deprædabantur & vaſtabant.

1451. Joannes Hunyades proditione ſuorum Magnatum, qui felici- bus ejus progressibus invidabant, ad oppidum Loſzoncz, à nefario præ- done Izkra prænominato ſuperatur, & caſtris exiit. Verùm mox Joannes, novis aſſumptis armis, ſibi fidelioribus militibus, varias munitiones eidem eripit. Eodem anno, idem Hunyades, Georgium Deſpotam Raſciæ, con- tra Amurathem Turcarum Imperatorem egregiè adjuvat, Turciſque ex- ſis magnâ clade, victor in Hungariam revertitur. Interim Fridericus Im- perator, Ladislaum puerum, jam duodennem, ſecum in Italiam ad coro- nationem pergens, ducere parat, eumque Hungaris nonniſi virum & ap- ptum Regno redditurum negat.

1452. Redux ex Italia, in Auſtriam Fridericus Imperator, Hunga- ris Ladislaum ſibi reſtitui enixè flagitantibus reddere recuſat. Cum igitur id impetrare nequirent Hungari, Duce Hunyade ad arma convolant, Fridericumque Imperatorem in Nova Civitate ſeu Neoſtadij tunc tempo- ris commorantem arctâ obſidione cingunt. Sicque Fridericus, tum me- tu, tum penuriâ victualium admodum laborans, Regem Ladislaum ſuo- rum Regnorum Proceribus, reddere eſt coactus. Reductus itaque puer Princeps Viennam, ubi à ſuis Auſtriacis, Hungaris & Bohemis, juramen- tum fidelitatis accipit, ipſeque Hunyades officio Gubernationis cedit, ſed in eodem à Ladislao confirmatur, atque ita in Hungariam multis ab eo- dem honoribus & muneribus auctus remittitur. Eodem anno Beatus Ca- piſtranus Minorita, in Hungariam venit.

1453. *Ladislaus IV.* Rex Hungariæ, Viennâ anno ætatis ſux deci- mo tertio, in Hungariam venit, Budæque à Proceribus Regni ſuſcipitur magnificè.

1454. Captâ anno elapſo Conſtantinopoli à Turciſ, conſternati

Principes, de bello Turcis inferendo, conventus binos celebrant, primum Ratisbonæ, qui inutilis evasit Principibus Christianis, mutuis inter se odijs decertantibus; alterum Francofurti, in quo adnitentibus maximè *Æneâ Sylvio*, tunc in Germania Nuncio Apostolico, ac dein Pontifice Summo, & *Joanne Capistrano*, decernitur bellum in Turcas.

1455. *Mahometes Turcarum Imperator*, superbiâ tumens ob Græcos penitus debellatos, ad Hungariam quoque suo Imperio subigendam, totum animum & vires convertere statuit.

Anno igitur 1456. *Belgradum* seu *Albam Græcam* munitissimam ad *Savum* atque *Dravum* confluentes fluvios, jam aliàs à Patre suo frustra tentatam, cum 150. & eò ampliùs millibus armatorum obsidet, quo audito *Ladislauus Rex*, cum Patruo *Ciliæ Comite*, qui suis consilijs Regnum dirigebat, *Budâ* vacuâ præsidio, per longum tempus relictâ, unius noctis silentio *Viennam* se recipit. Interim *Hungariæ* reliquis Dominis, quâdam desidiâ, quasi gravi somno laborantibus, solus *Hunyades* arma corripit, adjunctis exercitui suo 40. Christianorum *Cruce signatorum* millibus, quos *Beatus Joannes Capistranus* ducebat, & prolata imagine *Crucifixi*, ad propugnandam fortiter fidem Christianam, suis ferventissimis exhortationibus animabat, gloriosè castra *Turcarum* invadit, atque priùs in fluvio, ac dein terrâ eosdem devincit, & obsidionem relictis omnibus machinis bellicis solvere cogit, ipso *Mahomete Imperatore* in pectore vulnerato, præcipuisque belli Ducibus cæsis tantâ clade, ut eâ nusquam majorem *Turcæ* acciperent. Cæsa tunc fuisse perscribuntur 40. millia *Barbarorum*. Nec multò post ex nimio labore incidit in febrem lethalem *Hunyades*, ex qua sanctissimè obiit, reliquit duos filios, *Ladislauum* jam armis auctum, & *Matthiam* adhuc impuberem. *Hunyadem* paulò post secutus est *Beatus Joannes Capistranus*, septuagenario jam major.

1457. *Ladislauus* & *Matthias*, *Joannis Hunyadi* filij, carceri mancipantur, ob trucidatum à *Ladislao Hunyade Ulricum Ciliæ Comitem*, avunculum *Ladislai Regis* (qui *Ulricus Comes*, jam olim *Joannem Hunyadem*, ac postea ejusdem filios mirè persequebatur) & post triduum *Ladislauus Hunyades*, *Budæ* capite plectitur, cum tanta etiam tortoris commiseratione, ut vix ei quarto ictu caput secuerit, *Matthias* verò *Viennam*, ac dein *Pragam* abducitur. Eodem anno *Ladislauus Rex*, non sine veneni suspitione, *Pragæ*, in quam venerat celebraturus nuptias, cum *Magdalena Franciæ Regis filia*, repente sextingvitur.

1458. *Matthias Corvinus* dictus, *Joannis Hunyadi* filius, in *Bohemia* in carcere & potestate *Georgij Podiebrachij* existens, ab *Hungaris Proceribus*,

ceribus, in Regem Hungariæ, anno 17. ætatis suæ eligitur, ac paulò post 1459. in Regnum inducitur, à Georgio Rege non priùs dimissus, quàm Catharinam ejus filiam in uxorem duceret.

1460. *Matthias* Rex, mira statim initio Regiminis sui prodit prudentiæ argumenta, mox ad recuperandam Sacram Coronam, quæ in Friderici Imperatoris manu erat, animum advertit, quando citra Sacrosantum Diadema, legitimè Regno potiri se, haud quaquam posse putabat. Igitur è Senatus consulto, duos ex Optimatibus, ad Imperatorem mittit, qui eam repeterent; sed hi continuò verba solum sibi ab Imperatore dari intelligentes, re infectâ, domum revertuntur. Hoc eodem anno, Frater Gabriel Ordinis Sancti Francisci Episcopus Agriensis, & Petrus Episcopus Westprimienseis, inter S. R. E. Cardinales connumerantur.

1461. Initio statim Regni, tria gravissima bella *Matthiæ* Regi fortuna proponit: unum cum Romano; cum Turcico alterum Imperatore, intercedebat; tertium cum Bohemis, qui initis inter se societatibus, quas fraternitates nuncupabant, universam ulterioris Hungariæ plagam, hostilibus incursionibus infestabant. Primum ex Austria erupit bellum, Cæsari multis ex Proceribus faventibus, tunc *Matthias* Simonem Magnum cum exercitu, ad Sabariam opponit, sed hic à Cæsareanis & Hungaris eidem adherentibus, confestim profligatur, & fusus fugatusque ad *Matthiam* redit.

1462. *Matthias* nil fractus animo, exercitum rursus reparat, conpirationem Procerum differt, hósque sibi conciliat; eodem Duce Simone, cum Cæsareanis confligit feliciter, fusis fugatisque hostibus, mox cum eodem Cæsare pacem init. Eodem anno ducit bellum in Bohemos, domesticos latrones feliciter. Fuere autem dicti Bohemi inducti in Hungariam, ab Elisabetha, Ladislai Regis matre, quorum Duces Gislam, & Telephum, illa multis oppidis & fortalitijs præfecerat: successere deinde ex his fraternæ Bohemorum societates, quæ varia circum castella temporanea erexerant, impositisque præsidijs, ex illis frequentissimas excursions faciebant, cunctaque longè latèque depopulabantur, & latrocinia exercebant, sicque Hungariam octo circiter & viginti annis divexabant. *Matthias* Rex assentionibus, & falsis criminationibus, à nonnullis Magnatibus inductus, Michaëlem Szylagyium avunculum, & Regni Governatorem, in vincula conjicit, atque is à fidelibus suis servis è carcere liberatus, à Rege postmodum in gratiam recipitur, pristinaeque libertati restituitur.

1463. Rex *Matthias* in Bosniam expeditionem suscipit, & Jajczam Metropolim ejusdem Turcis eripit, magnamque illius partem sibi subjicit. Mahometes Turcarum Imperator, auditâ Jajczæ expugnatione, cum ingenti

genti exercitu, eandem vicissim oppugnare aggreditur; sed audito solum rumore adventus *Matthiæ*, obsidionem solvit.

1464. Rex *Matthias*, redemptâ sexaginta millibus aureorum, à Friderico Imperatore Sacrâ Coronâ, (quam Elisabetha mater Ladislai Regis, clam ad Fridericum abduxerat) Albæ Regali, magna cum solennitate redimuntur, pace prius cum eodem Friderico factâ, ac firmatâ. Cum Venetis quoque arctum fœdus contra Ottomannicam potentiam inicit, vi cuius Veneti quadraginta millia aureorum in annos singulos contulere *Matthiæ* Regi, ut perpetua cum communi hoste bella gereret. Rex igitur statim post suam coronationem, delectum militum facit, & undecunque potest, auxilia cogit, & appropinquante autumno Savum trajicit; Mysiamque superiorem ingreditur, ac primò Zebernicum, quod ab Argentifodinis nomen habet, prosperè expugnat, ac dein Zvinichum, Rasciæ fortalitium, in arduo monte situm, arctâ obsidione cingit, & duobus ferè mensibus acriter oppugnat, sed vulnerato Comite Emerico Zapolya, Equitum Præfecto, auditoque rumore, Mahometem Turcarum Imperatorem in horas, cum numeroso exercitu adfuturum, præproperè obsidionem solvit, Savoque remenso, in agrum Syrmiensem redit. Dein Szegedinum conventum generalem indicit, in eoque Michaëlem Ország Palatinum creat, duosque Oratores, Romam, ad Paulum II. Pontificem, mittendos designat, qui eidem prompta obsequia deferrent, & adversus communem Reipublicæ Christianæ hostem, opem & auxilia implorarent.

1465. *Matthias* Rex in Croatiam, ad redigendos in ordinem Frankepanos Comites, minus sibi obsequentes castra movet, sed cum vix Zagrabiam pervenisset, auditâ novâ Bohemorum, Duce Swecla, in Hungaria rebellionem, è vestigio reducit exercitum, seditiososque persequitur, ab ijsque pro meritis debitas exigit pœnas, ita, ut ex hac nova Bohemorum fraternitate, quæ septem millibus hominum constabat, perquam pauci evaserint, sed omnes ferè aut ferro, aut fame, aut publico supplicio consumpti sint.

1466. Hoc anno *Matthias* Rex in Transylvaniam, cum decem selectorum millibus contendit; Transylvani siquidem commotâ seditione palam à fidelitate Regia defecerant, Joannémque Sancti Georgij Comitem sibi à Rege Vajvodam seu Ducem impositum, vel invitum, in Regem sibi elegerant. Igitur Rex magna cum festinatione in Provinciam properat, passusque imprimis ejusdem angustissimos inter jurga altissimorum montium, quibus undique cingitur, præoccupat, ac dein in patentes campos exercitum deducit, & aciem contra rebelles explicat. His visis, novitatis auctores animo consternantur, depositisque armis, veniam ad Regis pedes

provoluti, humiliter exorant, atque etiam impetrant, paucis exceptis, qui perfidiae ac defectionis primi motores fuerunt. Post hæc Rex, pacatâ Transylvaniâ, in Moldaviam, contra Stephanum Vajvodam, seu Principem regionis, arma vertit, quod hic quoque imperata Regis (esto ab antiquissimis temporibus Principatus iste Coronæ Hungaricæ subesset) Transylvanicas quoque factiones fovisset, ac primo impetu Romanum Forum dictum oppidum, occupat, dein pagos, & obvia omnia quævis oppidula, igni ferrôque passim devastat; sed ad Civitatem *Banya* nuncupatam, grave periculum subit, à Moldavis circumventus, ac invasus, quos tamen fortiter repellit, & gloriosè devincit, cœsis ex hostibus facilè septem millibus, amissis tamen ex suis duobus millibus & ducentis, ipse quoque sagittâ graviter sauciatus: ultimò tamen Stephanum Vajvodam supplicem per litteras, in gratiam recipit; ita tamen, ut imposterum obsequia grata legitimaque præstaret, sicque utraque Provinciâ pacatâ, in Hungariam redit. Interea verò temporis, Michaël Szilagyius, Regis avunculus, cum Turcis ad Bozazin, infra Szendoroviam confligens, ab hostibus capitur, & Constantinopolim mittitur, jussûque Imperatoris, capitis supplicium subire cogitur.

1467. *Matthias* Rex, conventum publicum regnicolis Agriam indicit, ut de futura duplici expeditione bellica, cum iisdem decerneret, unâ, contra Turcas, perpetuos Hungariæ hostes, alterâ, contra Bohemos, Hussitas hæreticos, ad quam non solum ob privatas injurias incitabatur, verum etiam à Paulo Pontifice Romano, & à Friderico Imperatore stimulabatur, adpromissis ab utroque magnis pecuniarijs subsidijs.

1468. Rex *Matthias*, Georgio Podebrachio, Regi Bohemiæ, bellum indicit, Moraviâque invadit, & plerâsque ejusdem Civitates, ultroneâ deditione in suam potestatem redigit. Hradisthium tamen non tentat, eò, quod fortissimo veteranorum militum teneretur præsidio, ipsèque locus naturâ municissimus, ob exundantiam Moravi fluvij esset. At Brunam, & Olomucium occupat, Spilperga, quæ Brunensi Urbi adjacet, aliquamdiu fortiter resistit, sed & hæc postmodum deditionem facit.

1469. Rex *Matthias*, conventum Olomucium indicit, in eòq; Marchio Moraviæ, & Rex Bohemorum, ab ipsis Provinciarum harum Proceribus declaratur; ac salutatur. Deinde castra movet in Silesiam, cujus imperio, Wratislavia, Metropolis illius Regionis, se illico submittit, atque Wratislaviensium exemplo, reliquæ quoque Silesiæ Civitates, fidelitatem & obsequia eidem deferunt. Mox continuatis itineribus, Victorinum Regis Po-

debrachij filium, nova in dies molientem, in Vezile oppido obsidet, locoque expugnato eundem capit, & in Hungariam secum deducit.

1470. Georgius Rex Bohemiæ, auditâ Victorini filij captivitate, præ dolore paucis diebus extingvitur. Rex igitur Matthias cum Comitibus Regni Bohemiæ *Cuthnam* indicta instarent, in Provinciam se conferre censet, & per Legatos agit, ut Regni Corona, pro qua jam prius à Pontifice, & Catholicis Proceribus declaratus fuerat, sibi re ipsâ conferatur; verum Bohemi, prævalentibus Hussitis hæreticis, in Vladislaum, Casimiri Regis filium, vota sua conferunt, eumque in Regem eligunt, & postmodum regio coronant diademate. Quo vehementer exardescens *Matthias* Rex, in Bohemos crebris excursionibus ex Moravia, Bohemiam, longè latèque vastat, & tam assiduis rapinis, & tot populationibus afficit, ut oppidorum, ac Civitatum pars magna, pacem mercari, multæ verò se dedere cogerentur. Interim non leve detrimentum in Hungaria accipit; Turcæ enim scientes *Matthiam* Regem Bohemico bello occupatum, viginti millia hominum, ad Savum amnem clam destinant, & cum expeditis artificibus, ac operarijs mittunt, ut è conspectu Syrmienfis Agri, temporaneum è materia castellum erigerent, & summâ arte & præsidio munirent, ut quoties libido ferret, Syrmiensem Agrum infestare possent. Quorum intentionem ut Rex interverteret, expeditam militum manum eò mittit, sed in cassum: Turcæ siquidem jam se egregiè muniverant, & locum assatim comæatu, & omni genere munitionum obfirmaverant, munitionique *erectæ* nomen Sabácz imposuère.

1471. Proceres Hungariæ, tam Ecclesiastici, quàm sæculares, magna ex parte in *Matthiam* Regem conspirant, & Casimirum alterum, Casimiri Regis Poloniæ filium introducere decernunt, ut postquam hunc Regem declaraverint, ejusdem copijs *Matthiam* ejicerent. Causam autem hujus suæ defectionis prætendebant, quòd *Matthias* Rex nimijs impositionibus, supra modum Regnicolas premeret, & sub prætextu bellicarum necessitatum etiam Ecclesiasticos proventus, ad se attraheret, ac pro libitu suo, nullâ habitâ ratione Procerum, ac consiliorum eorundem, cuncta disponderet, & Regni negotia administraret. Venit itaque Casimirus cum viginti millibus suorum in Hungariam, (cui adjungunt se multi in Hungaria, seditionis conscij & participes) atque Nitriæ subsistit præstolaturus ibidem Magnates, à quibus ad capeffendum Regnum evocatus fuerat. Interim *Matthias*, conscius jam hujus contra se conspirationis, Budâ movet cum Exercitu, & adherentibus sibi Optimatibus, Strigonium contendit, ibique Metropolitanam conjurationis principem, sibi reconciliat, rectâque Nitriam

properat, Casimirumq; ibi inclusum obsidet, commeatum omnem inhibet, & diram famem eidem interminatur. Casimirus itaque ad has angustias redactus, & ab Hungaris, qui hactenus eum sequebantur, desertus, cum *Matthia* clam per internuncios agit, atque impetrat, ut intempestivâ nocte sibi egredi, & in Poloniam tutò redire liceat, séque Regno nullum unquam bellum posthac illaturum, jure jurando pollicetur. Exercitus Polonicus qui remanserat, arctiori obsidione circumventus, quotidianis internuncijs tutò abeundi, ne inediâ conficeretur potestatem petit, cui Rex lubens annuit, hâc adjectâ conditione, ut in remeando itinere, nihil hostilitatis exercerent; sed quia hanc cautionem postmodum non servârunt, aut dirâ fame pressi, servâre non potuerunt, maximè cum finibus Poloniæ appropinquabant, palantes ac effusi, ac in diversas vias divisi, à rusticis circumveniuntur, spoliantur, & in prædam serè omnes vertuntur.

1472. Postquam ejectis hostibus, propulsatisque periculis, Rex Budam se recepisset, ad ultionem de seditiosis sumendam animum revocat, & ab Archi-Episcopo Strigoniensi facit initium, hunc igitur Budam evocat, & in aula retinet, & adhibitâ custodiâ, pro dignitate, asservari jubet, ac demum Wissegradum deduci mandat; postmodum tamen memor ingentium ejus beneficiorum, & aliorum fidelium servitiornum, eundem è carcere dimittit, & pristinae dignitati restituit, qui tamen dolore ex hac infamia concepto, eodem hoc anno, diem ultimum obit.

1473. Præter perpetuum cum Turcis bellum, qui datâ quacunque occasione, modò Daciam, modò Pannoniam, modò Dalmatiam infestabant, duplex aliud bellum *Matthia* Regi exoritur, unum Polonicum, alterum Bohemicum. Vladislaus enim in Regem Bohemiæ coronatus, cum Regnum mutilatum offendisset, opulentissimis Provincijs Moraviâ, & Silesiâ, quin & ipsius Bohemiæ partibus non paucis, à *Matthia* Rege avulsis, & possessis, vehementer indoluit, ad patrémque scripsit, se non ad Regnum, sed ad Regni reliquias evocatum esse: Casimirus itaque sapius per litteras cum *Matthia* agit, eúmque hortatur, ut Vladislao filio easdem spontè redderet, adpromittens se magna ex parte eidem belli sumptus recompensaturum. Contra ille, mutæ amicitiae causâ, se id ultrò facturum adpromittit, si quadringenta millia aureorum, quæ in bello erogaverat, sibi rependerentur, interea se partis ditionibus potiturum. Cùm autem hæc summa immensa Casimiro videretur, neque fideret sibi ullis medijs eam comparare posse, & *Matthias* de proposito suo nihil cedere vellet, devenitur ad arma. Mox delectus militum utrinque magnus habetur. Casimirus & Vladislaus, longè majores multitudine exercitus comparant,

haug

haud tamen *Matthias* consternatur. Denique hostem non expectare discernit, proinde ipsemet in Silesiam exercitum ducit, eumque in Urbe *Wratislaviæ*, ac ejusdem suburbij collocat, ex altera autem parte, Comiti *Scopusiensi*, & *Paulo Kinisso* in mandatis dat, ut expeditissimo equitatu *Poloniam* invadant, nec alicubi consistant, aut expugnationibus se detineant, sed igni ferroque cuncta vastent. Cum itaque *Casimirus* *Poloniam* vastari ab *Hungaris* intelligeret, neque contra *Matthiam* aperto Marte, utpote, in tutissimo loco castra sua habente, quidpiam efficere posset, atque in suis castris tantâ gentium varietate refertis, annonæ caritate jam laborare inciperet; colloquium & inducias aliquot dierum à *Matthia* expetit. Initis itaque inducijs, strenuè ab utriusque partis Proceribus, de pace & concordia Regum agitur, ipsi quoque Reges seriatim & longa inter se colloquia hac de re instituunt, & iteratò repetunt, ac tandem pacem inter se conditionibus utrique parti faventibus concludunt; junctisque dextris, in signum inicitæ pacis, perpetuæque fœderis, sese mutuò amplexantur.

1474. *Matthias* redux ex *Silesia*, nullò modò arma deponere statuit, donec à *Polonorum* latrocinij, qui in *Hungariæ*, *Poloniæ*que confinijs superfuerant, Provinciam purgasset. Ij namque præsidia duo statuerant, unum ad *Nagy Mihály*, alterum ad *Homonnam*, unde latius viciniam depopulabantur. Hæc quidem Rex brevi tempore in suam potestatem redigit, præsidariòsque cunctos partim cædit, partim captivos *Budam* mittit.

1475. Compositis in *Bohemia* rebus, *Moraviâ*, *Silesiæ*que pacatâ, ac superiori *Hungariâ* à latrocinij liberatâ, Rex *Matthias*, ad expugnandam munitionem *Sabacz*, quam *Turcæ*, cum is in Regno *Bohemiæ* occupatus fuisset, ædificaverant, animum intendit: eò igitur magno cum exercitu progreditur, & trajecto *Savo*, acerrimam oppugnationem aggreditur, ac intra trigessimam obsidionis diem expugnat feliciter.

1476. Regis *Matthie* exercitus, ex præsidarijs *Belgradensibus*, & *Temesvarinensibus*, *Turcas*, *Ducibus Alibego*, & *Xeuderbego*, oras illas vastantes, castris exiit, & ad internecionem delet, totamque recipit prædam. *Beatrix* sponsa *Matthie* Regis, in *Hungariam* deducitur, & *Albæ* Regali prius coronata, ad solennia nuptiarum *Budam* ducitur. Interca *Mahometes* *Turcarum* Imperator, cum Regem cum tota *Pannonia* nuptijs occupatum intelligit, *Dalmatiam*, & *Croatiæ* fines, depopulatur.

1477. *Matthias* Rex, *Fridericum* Imperatorem, appetit bello, quibus ex causis, varia est, variorum opinio. Movet igitur cum universo exercitu ex *Hungaria*, in *Austriam*, & usque *Crembsium*, omnia ferè

devastat. Cæsar pacis amans, missis Legatis ad *Matthiam*, cum eodem pacem init, atque hic, omnia quæ cæperat in Austria, Cæsari spontè reddit, revocatòque in Hungariam exercitu, Posonium descendit. Ex hoc autem tempore, constituta *Matthie* Regi, à Romano Pontifice, Venetòque Senatu stipendia abrogata sunt, ne ij adversùs Romanorum Imperatorem, *Matthie* Regi opem adferre viderentur.

1478. Hoc anno *Matthias* Rex, unà cum Regina Beatrice, & magna Aulicorum manu, ut à bellicis curis aliquantisper animum relaxaret, Urbes, locàque præstantiora Hungariæ lustrat, cui ubique ex Civitatibus, & oppidis occurrentes Provinciales, eximios honores præstant.

1479. Reges, & Vladislaus, ex condicò Olomucium conveniunt, fœdusque initum, denuò confirmant, & mutuam amicitiam redintegrant. Turcæ, absente Rege, Hungariam invadunt, & ad Castrum ferreum usque, & Styriæ fines, cuncta depopulantur, & abactâ præda ingenti, & triginta millibus hominum, secum in Bosniam abducunt: Quibus auditis Rex *Matthias*, Stephano, & Petro Garaj in mandatis dat, ut Turcas insequantur, quod hi fideliter præstant, & siquidem jam in Pannonijs Turcas insequi non valebant, in ipsam Bosniam irrumpunt, & par pari hosti reddunt.

1480. Ruptis indicijs inter Fridericum Imperatorem, & *Matthiam* Regem, Rex *Matthias*, cum utroque Imperatore, uno eodémque tempore bellare cogitur. Cùm enim Rex *Matthias* Zagrabiæ, Judicia Regni celebrat, samâ accipit, exercitum Imperatoris, Hungariam longè latèque usque Jaurinum vastare. Unde irâ inflammatus, partem exercitûs in Styriam præmittit, ipsèque mox Zagrabiâ movens, eundem subsequitur, & Rackenspurgum pervenit, dein Marieburgum concedit, quod unà se jam jam expugnaturum sperans, ecce adest Pontificis Legatus, apud Cæsarem internuncius, qui Cæsarem excusat, *Matthiam* hortatur ad pacem, quam propediem, si Rex dictis audierit, se compositurum pollicetur. Paret Rex admonitioni Legati, intermissâque oppugnatione loci, Rackenspurgum redit, pacisque confirmationem ibidem expectat, sed Cæsare nolente eandem inire, spe suâ frustratur, indignabundusque Budam versus iter suscipit, relietòque in Styria Stephano Zapolya Comite Seepusensi, & Jacobo Székel, quorum hic jam Rackenspurgum, ille verò Petavium, in deditionem Regis acceperant. Interea rumor increbescit, ad Szenderoviam, turmatim indies Turcarum ingentem convenire exercitum. *Matthias* Rex proinde Stephanum Batorem Transylvaniæ Vajvodam, & Paulum Kinisium Temesvari Præfectum admonet, ut hostium conatus diligenter observent, ipsædem pro virili resistant; exequuntur hi fideliter jussa Regis, &

copias, quas possunt colligunt; cùmque Turcæ incredibili coactâ prædâ jam pedem referrent, Stephanus eisdem insequitur, ac Kenyer-Mezô dicto loco assequitur, & sequenti die proelio aggreditur, nec illi pugnam detrectant, sed fortiter pro vita, & parva præda dimicant, utrinque res strenuè agitur, dubiâ utriusque partis victoriâ, donec Paulus Kinisius cum suis copijs adveniret qui mox restaurat prælium, & Turcâs à tergo, cum magna ferocia invadit, Turcæ cùm à fronte tergoque se inclusos intelligunt, salutem fugâ quærunt, fugientes nostri cædunt, prædam recipiunt, castra hostium diripiunt, captivos in libertatem vindicant, & Albam Gyulam ovantes redeunt. Dicuntur in hac pugna triginta millia Turcarum, ex nostris verò decem millia desiderata fuisse. Atque utinam gloriosissimus Rex, omnes suas vires in continuandum contra Turcas bellum & arma convertisset, neque diuturno bello cum Friderico Cæsare se implicasset, majorem certè nominis sui gloriam posteris reliquisset, Regnumque Hungariæ magis stabilivisset, ac dilatasset! Insequenti igitur anno:

1481. In Austriam cum exercitu movet, Hamburgoque obsessio, Prædie Kalendas Octobris, illud deditione capit, quo eodem anno, tria millia Turcarum, in campo Bezkerek Szenderoviæ proximo, ductu Pauli Kinisij, & Petri Doczy, in acie cæduntur, præter captos, & saucios multos. Anno dein:

1482. Pruchum, quod præsidio forti munitum fuerat, & Vicanensem Agrum infestat, finitimæque, ac conjacentia oppida, in suam potestatem redigit. Hinc cum paucis equitum turmis, nonnullisque cohortibus peditum, ad obsidionem Ginsium, non procul à Sopronio remotum (quod tunc sub potestate Friderici Cæsaris erat) contendit, & sine magno negotio capit, & ad hyberna copias, ex Austria, in Hungariam revocat. Post, anno:

1483. Claustro-neoburgum, & oppidum Sancti Hippolyti occupat. Bruchum obsidet, & non sine magna difficultate expugnat, suoque præsidio firmat.

1484. Obsidet Corneoburgum, quò nonnisi post longam obsidionem potitur.

1485. Obsidione cingit Viennam, vigesimâ septimâ Januarij, & Calendis Junijs, fame execrabili adactis Civibus, deditione accipit.

1486. Viennâ captâ, Budam frequentissimum Conventum indicit, optimisque Legibus & statutis, Rempublicam firmat.

1487. Novam Civitatem, seu Neapolim Austriæ, priorè adhuc anno obsessam, in suam potestatem redigit.

1488. Conventus ad Sanctum Hippolytum, indicitur, quò Rex, & Cæsarei Oratores, & Dux Saxoniae Albertus, convenientes inducias concludunt.

1489. Rex *Mathias* legitimis prolibus carens, totus in id incumbit, ut Joannem gnatum, ex illegitimo thoro natum, pro successione sui in Regno disponat, quem in finem, eidem, quàm plurima Dominia in Silesia, Lusatia, Hungaria, & Pannonia, comparat. Eodem anno, multos diversorum Principum Oratores excipit, nec ullum tamen indonatum abire permittit. Compositis dein motibus Provinciarum omnibus, podagrâ instantum corripitur, ut nunquam pedibus ultra constiterit. Demum:

Anno 1490. Viennæ appoplexiâ, & cum magno luctu Reginæ, Joannis naturalis filij, & Procerum, ultimum diem vitæ claudit, ætatis suæ anno quadragesimo septimo, Regni trigesimo secundo. Mortuo gloriosissimo Rege Matthiâ, statim in deterius prolabi cepit Hungaria. Is enim non tantum integram Hungariam, annexas illi provincias, nempe: Transylvaniam, Walachiam, Moldaviam, Bosniam, Sclavoniam, & magna ex parte Serviam conservaverat, sed & Lusatiam, Silesiam, Moraviam, partemque Austriæ eidem adjecerat, & hoc in statu, ac in tanta amplitudine, Regnum Hungariæ reliquerat. Sed hæc magno labore, longoque bello, à Matthiâ parata, post illius mortem, brevi tempore sunt dilapsa. Intellectâ enim illius morte Maximilianus Cæsar, sine mora Viennam recepit, & nonnulla alia quoque loca in Austria, è Hungarorum potestate recuperavit. Cæteræ Provinciæ, successu temporum, avulsæ sunt, vel diminutæ. Porrò inter quatuor Competitores Coronæ Hungariæ, nempe: Maximilianum Cæsarem; Vladislaum Bohemiæ Regem; Albertum, fratrem ejusdem Vladislai, Casimiro Rege Poloniæ genitum; ac Joannem Corvinum, naturalem Matthiæ filium; Vladislaus, suffragantibus Beatrice Reginâ, quæ illius nuptias appetebat, earumque haud dubiâ spe sustentabatur, & Stephano Zapoliano, Palatino Comite Scepusiensi, quem largitione, & ingentibus promissis, ad suas partes reduxerat, à Regnicolis in Regem eligitur, & Albæ Regali solenni ritu sacro Diademate coronatur. Cæteri autem competitores, armis suas prætensiones conabantur promovere. Etenim Maximilianus Cæsar, Albam Regalem expugnat, & nisi seditione militari, ob non persoluta stipendia, inhibitus fuisset, Budam quoque eodem impetu aggressus fuisset. Albertus verò superiorem Hungariam infestabat. (Joannem autem Corvinum, certis conditionibus, jam prius sibi Vladislaus reconciliaverat) contra Albertum fratrem, Rex ipse duxit exercitum, sed cum prælium committi deberet, Fratres ad colloquia conveniunt, & pacem inter se ineunt.

1491. *Vladislaus* Rex, Albam Regalem, à Maximiliano Cæsare prior anno occupatam, & mox etiam reliquas eidem adhærentes partes, armatâ manu recipit. Ast Albertus rursus bellum instaurat, sed per Stephanum Comitem Scepusiensem, prælio vincitur, Eperiesinque obsessus, se, ad arbitrium victoris submittere cogitur. A fratre tamen *Vladislao*, liberè in Poloniam abire permittitur.

1492. Comitata Regni, Budam, à *Vladislao* indicuntur. Casimirus Rex Poloniæ, Parens *Vladislai*, è vivis excedit. Cui Albertus filius, & frater *Vladislai* in Regno succedit, licet *Vladislao* jus Regni Polonici, secundùm ætatis prærogativam competeret, ipsè tamen illud in Albertum fratrem, à quo infinitas injurias, & quæquæ hostilia perpeffus erat, omnium injuriarum oblitus, liberalissimè transfert, pacèque cum eo perpetuâ, uti & cum Maximiliano Cæsare initâ, totum animum ad ferendas, emendandâsque leges adjicit.

1493, Fridericus Cæsar moritur. In Dalmatiæ partibus, à Comitibus Frangepanis, Bernardo & Joanne, inter se dissentientibus, novæ turbæ exoriuntur. Quas cum Joannes Corvinus, ab *Vladislao* Illyrici Banus constitutus, obstinatis Comitum animis, componere non posset, indignatione motus, officiò ultrò cedit, eique Emericus Derencenius, cum Bothone in Præfectura à Rege sufficiuntur. Hi mox Comitem Bernardum Frangepanum tumultuantem, armis ad officium adducere aggrediuntur, eumque ad Arcem suam Briniam confugientem, obsident. Qua quidem in obsidione, Bothus plumbeâ glande ex arce emissâ ictus, è vestigio concidit. Derencenius verò obsidionem continuans, & urgens, Comitem ad deditiois conditiones compellit. Interea, durante adhuc obsidione, Turcarum decem millia, Duce Jacuppe Bosniæ Præfecto, in Carnioliam irrumpunt, cunctâque Labacum usque devastant, quibus prædâ partâ reducibus, cum eodem exercitu, alijsque copijs adauctus occurrit fortiter Berenkenius, eosdemque magno animo aggreditur, sed infelici successu; fusò enim & fugatò ab hoste nostro exercitu, ipsemet strenuè prælians, capitur. Perière in hac pugna nostrorum, supra quinque millia hominum. Rex hac clade auditâ, Ladislaum Kinisium Illyrico præficit, ac non multò post Budæ Venetorum Legatos excipit, qui eum ad inferendum bellum Turcis hortabantur, sed hos Rex, prætendens triennales inducias cum Turcis initas, sine optatò responso dimittit, atque iisdem diebus Ragusanam Rempublicam, à multis sæculis Pannoniæ Regibus clientalem, in fidem & clinteelam recipit. Eodem anno Kinisius cladem Derencenianam ulturus, coactâ magnâ militum manu Samandriam usque

excurrit, atque Alibegi Samandriæ Præfecti, duo castella, interfectis omnibus Turcis, magnâ cum præda occupat, victorque feliciter exercitum reducit. Interea Proceres Hungariæ, in Comitijs Budensibus, gravissimas querelas *Vladislao* obijciunt, ac in specie, quòd domi sedendo cum singulari detrimento Regni, ad summam ignominiam gentis Hungariæ, quietem, & desidium, venandique studium necessario bello præferret, ac Silesiam, Moraviam, & Lusatiam, contra pacta initio Regni stabilita, Bohemis tribuisset, neque Turcarum incursiones sufficienter reprimeret: *Vladislau*s tamen singula sibi objecta refutat, dissimulatâque indignatione, clam per certos homines, sibi Maximilianum Cæsarem conciliat, ac Albertum fratrem Leutchoviæ evocat, cum eoque arctum fœdus init, ut se, & suam dignitatem ab intestinis Procerum insidijs tuerentur, & si necessitas postularet, stabilindæ authoritatis suæ causâ, arma consociarent.

1494. *Vladislau*s, sæpius irritatus injurijs, & multiplicibus calumnijs exagitatus Laurentij, Ducis Syrmij, bellum adversus eum decernit, belioque huic Dragffium præficit, quem ipsemet dein Rex ad castra subsequitur. Mox à regijs arces, & oppida Laurentij, non sine forti resistentia præsidiariorum, partim expugnantur, partim deditioe capiuntur. Quibus periculis Dux perterritus, & præsertim suorum defectu à Rege, quibus is sanctè indemnitate omnem adpromiserat, qui intra triginta dies Laurentij partes deseruissent, secus facturis, capitis, fortunarumque omnium noxam imminere denunciasset, Palatini opem implorat, matrem quoque ad placandum Regem, subornat. Verùm Rex ejus causæ revisionem, ad futura Regni Comitia relegat.

1495. Regiæ copiæ, reliquas arces Laurentij, ut Caposvariam, Rachoçiam, Posegæ proximam, Nemet Ujvarinum (Germanis Gillingam) in Styriæ finibus sitam, expugnare pergunt. Laurentius Dux, pluribus deprecatoribus usus, fide publicâ acceptâ, ipse ad Regem supplex, temeritatis suæ veniam petit. Verùm Rex, pariter ut ante, causam ejus ad Conventum Budensem differt. Interea Priorem Auranz, unum ex adhærentibus Laurentij factioni capi, ac in carcerem conijci jubet.

1496. Legati Bajazethis Turcarum Imperatoris ad *Vladislau*m veniunt, magnis cum muneribus, ab eodemque alias triennales Inducias petunt, atque etiam obtinent. Exinde sæviante peste, Budâ in sylvam Vitesiam secedit, ibique totam ferè æstatem venando, aucupandoque transigit.

1497. Remissâ pestilentia, *Vladislau*s Budam Comitia indicit, in quibus revisâ Laurentij Ducis causâ, eundem certis conditionibus in gratiam reci-

am recipit. Autoritate eorundem Comitiorum, Beatrici Reginae Mathiæ Viduæ, Rex *Vladislaus*, spem totam, ac omnia jura conubij renunciari curat, quæ in cassum sui repudium deplorans, plena indignatione, non multo post in Italiam abit.

1498. *Vladislaus* Rex, evocato è Polonia Sigismundo fratre Budam, eidem Præfecturam utriusque Silesiæ, & Lusatiæ confert.

1499. Tartarorum, & Turcarum irruptione in Russiam, Reges, Hungariæ, & Poloniæ fratres, scædus inter se adversus communem Christianitatis hostem renovant. De Moldavia quoque, quæ paucis ante annis Poloniæ se adjunxerat; sic inter fratres Reges conventum est, ut ea, uti & Transalpina Valachia, in Hungarorum fide maneret, & si à Turcis his bellum immineret, uterque Rex iisdem auxilium ferret.

1500. Veneti scædus contra Turcam, cum Venceslao Rege Hungariæ ineunt. Thomas Bacocius, Archi-Episcopus Strigoniensis, in numerum Cardinalium adoptatur. Jajciam, Bosnensis Regnicaput, Turcæ adoriuntur, & obsident, verùm Joannes Corvinus, Mathiæ Regis filius naturalis, obsidionem illius solvit, & Turcas prælio cædit. Interea Albertus Rex Poloniæ, repentinâ apoplexiâ vitam finit, cujus obitum, licet is competitor Regni Hungariæ fuerit, *Vladislaus* tamen ægerrimè fert, & Regnum Poloniæ, quod eum jure primogenituræ concernebat, fratri juniore, Alexandro cedit.



IV. SYNOPSIS

SEU

SÆCULUM VI. POST X.

ANNO 1501. *Vladislaus* Rex, jam prope Quinquagenarius, Annam Aquitanam, Regij sanguinis Virginem, ex Galliis, in uxorem ducit. Turcæ trajecto Savo, Pofegam & Valconem, Hungariæ Regiones depopulantur. Quod tamen incommodum acceptum, Hungari excursione factâ in Bulgariam, cumulatis cladibus, & majoribus damnis, ho-

sti reddunt. Interim Veneti, pacem à Bajazethe Turcarum Imperatorè redimunt, & Hungari octennales ab eodem obtinent inducias.

1502. Fridericus Cardinalis, frater *Vladislai*, & non multò post Elisabetha mater ejusdem, finem vivendi faciunt. Moritur & Joannes Corvinus, Matthiæ Regis filius naturalis, ætatis triginta quinque annorum. Cujus relictam viduam, *Vladislaus*, Georgio Marchioni Brandeburgensi, sororis suæ filio, connubio jungit, hæredémque omnium ex asse constituit, & Corvino in Præfectura Dalmatiæ, & Illyrici, Andream Bodonem, & Franciscum Balassium primò, ac dein hujus locò Marcum Mislenovicium succedere jubet. Petrus Gerebus Regni Hungariæ Palatinus, obit, cui sufficitur Emericus Pereni.

1503. Obijt Stephanus Moldaviæ Vajvoda, disciplinæ militaris scientiâ clarus, sed fluxæ ac instabilis fidei, cui succedit Bogdanus filius.

1504. Comitata Regni Budam indicuntur, in quibus de Silesia, Moravia, & Lusatia, Hungariæ Coronæ adscribendis, acriter disceptatum est.

1505. Ludovicus filius *Vladislai* nascitur, & Anna Regina ex partu obit. Siculi in Transylvania tumultuantur, ad quos componendos Paulus Tomoræus à Rege mittitur, qui primò quidem repellitur, sed dein majore auctus exercitu, eosdem vincit ac domat, victòsque ac domitos, imperata facere cogit.

1506. Maximilianus Cæsar, misso Cuspiniano Legato, ad *Vladislaum* Regem, eundem de fœdere adversùs Venetos ineundo, & de affinitate mutuo jungenda sollicitat, disvadentibus id nonnullis è Senatu Bohemico, & Pannonico Proceribus. Quibus tamen non obstantibus. Anno:

1507. *Vladislaus* fœdus cum Cæsare sancit, Radulo Walachiæ Vajvoda, Budam ad *Vladislaum* venit, clientelæ suæ (quæ antiquo jure Reges Hungariæ respicit) declarandæ causâ, versatúsque in Aula Regis aliquamdiù, officijs honoribúsque auctus, ad sua redit.

1508. Beatrix Regina, Matthiæ Regis vidua, obit.

1509. *Ludovicus Vladislai* filius, adhuc bimulus, in Regem Hungariæ eligitur, & coronatur.

1509. Idem *Ludovicus* coronatur in Regem Bohemiæ. Induciæ inter Turcas & Hungaros, ad triennium prorogantur.

1510. Atrox pestilentia Budam, & totam ferè Pannoniam invadit, quâ territus *Vladislaus* Rex, cum liberis, Posonium Budâ descendit.

1511. Invadente etiam Posonium lue, *Vladislaus* inde primò in Moraviam, ac postmodum in Silesiam contendit.

1512. *Vladislao* è Silesia reverso, Barbara filia Stephani Zapolyani Comitiss

mitis Scepusiensis, Sigismundo Regi Poloniæ desponsatur, & in Poloniam cum splendidissimo comitatu deducitur. Berislaus Episcopus Vesprimien- sis, post obitum Andreæ Bodo, & Marci Meslencicij, Præfectorum Illyrici, constituitur earum partium Banus. Hic dum primò ad eas oras venisset, repressit Turcarum deprædationes, cum duorum millium strage, captis plurimis, & multò majore parte eorum, in Savum demersa. Leges Hun- gariæ jussu *Vladislai*, à Stephano Verbòcio digestæ, in tres libros conduntur, & confirmantur.

1513. Thomas Bacocius Cardinalis, & Archi-Episcopus Strigonien- sis, Legationem Romam suscipit, ut Principes Christianos, ope Pontificis ad bellum Turcicum concitet.

1514. Idem Cardinalis, cùm ob intestina bella Principum Christia- norum, alia auxilia contra communem & naturalem Christianitatis hostem, obtinere non posset, à Leone X. Pontifice, universorum criminum ve- niam, ad bellum Turcicum euntibus impetrat, & in Hungariam redit. Nec multò post, Diploma illud Pontificium, passim per Regnum promulgari cu- rat, ad cujus promulgationem, mox ingens ruricularum multitudo, præ- textu Religionis confluit, ita, ut intra mensem, quadraginta millia Cruce si- gnatorum concurrerent, justùmque exercitum conficerent. Huic igitur exercitui Cardinalis, Georgium Siculum, virum aliàs militarem, Ducem præ- ficit. Verùm, cùm Nobilitas rusticis interdiceret, ne militatum abeant, abeuntésque retraheret, gravitèrque in contraeuntes suis inhibitionibus, a- nimadverteret, Georgius furore correptus, arma in Nobilitatem vertit, bonâ- que illius ferro, flammâ, rapinisque vastat. Mox Csanadinum oppidum capit, ac diripit. Loci ejusdem Episcopum, Joannem Czakium, peracutâ sude per- ingvina adactâ occidit, eadèmq; crudelitate in alios quosque grassatur No- biles, ac insuper & Temesvarinum obsidere non dubitat. Rex igitur agre- stibus his, & insperatò factis hostibus perterritus, Regias suas primò, & præ- torianas cohortes, in eos Duce Bornemisza immittit. Qui priusquam du- biâ aleâ cum illis decertaret, animos perduellium tentavit, si quò pactò ad saniozem mentem reduci possent, & bellum citra cadem, & sanguinem conficeretur: Missis igitur præconibus, proclamari curat, ut quibus bona pacificaque consilia amplecti, cordi esset, abjectis armis, in dexteram par- tem contestim digrediantur, qui verò in pertinacia & obstinatione persi- stere vellent, ad sinistram descedant, eos enim se hostium locò habiturum minatur. Pars itaque illorum sanior, factâ deditione, ad dexteram partem secessit, complures sinistram tenuère, quos præliò commissò, Regij facile utpote inexpertes belli, perturbant, ac profligant, cadunt multos, ac quos capiunt,

capiunt, auribus & naso mutilatos, ut essent exemplo alijs, dimittunt. Aliunde verò Rex, Joanni Scepusiensi Comiti, Vajvodæ Transylvaniæ, bellum contra eosdem committit, qui Georgium explicatâ è disciplina militari, & directâ acie aggreditur. Initiò agrestes fortiter resistunt, ac acriter pugnant, sed tandem in fugam conjiciuntur, & Georgius, ac frater ejusdem *Gezo* dictus, vivi capiuntur, ac demum dirissimis supplicijs afficiuntur. Sigismundus Rex Poloniæ ad *Vladislaum* fratrem Regem Hungariæ, venit in Hungariam.

1515. Duo fratres Reges, *Vladislaus* & Sigismundus, conveniunt Viennam ad Maximilianum Cæsarem, & Maria neptis Cæsaris, ex filio Philippo Regè Hispaniæ, desponsatur *Ludovico Vladislai* filio, Anna verò filia *Vladislai*, repromittitur Carolo, vel Ferdinando, alterutri ex nepotibus, ejusdem Philippi filijs. Eodem anno, obit Emericus Perény, Palatinus Hungariæ. Joannes Zapolyanus Transylvaniæ Vajvoda, cum temerè *Cavallam* sive *Sarnonem* areem oppugnat, non sine clade gravi à Turcis accepta, repellitur.

1516. *Vladislaus* Rex Hungariæ moritur. Succedit patri *Ludovicus* filius, decimum ætatis annum agens.

1517. Joannes Vajvoda, occasione puerilis ætatis Regis, ad Gubernatoris officium aspirat, & hòc non obtentò, Palatinum ad minimum ambit. Verùm voto Regis & Senatùs, Nobilitatisque consensu, *Stephanus Bathorius* eidem præfertur.

1518. *Ludovici* præclara indoles, à Georgio Marchione Brandeburgensi, plurimum in educatione depravatur.

1519. Bohemi, summam potestatis administrationem *Ludovico* deferunt. Obit Maximilianus Welcij, duodecimâ Januarij. Carolus V. in Regem Romanorum eligitur. Selymus Turcarum Imperator moritur, succedit eidem Solymanus.

1520. Solymanus Turcarum Imperator, Regnum Bosniæ agreditur, & primò Srebernicum, in finibus Bosniæ, auri, argentique fodinarum ac celebre occupat. Dein Tessenium, & Socoliam arces invadit. Tandem Jajczam obsidione tentat, sed successu infelici, Petri Keglevicz, qui Jajczæ præfuit, solertiâ cum clade repulsus. Eodem anno, Turcæ limitanei Tininium oppidum diripiunt, & mox etiam Pethium castrum occupant. Quorum conatibus, & progressibus, cum Petrus Boreslaus, Episcopus Vespriensis, & Illyrici totius Præfectus resistere, & amissa recuperare contendit, in itinere apud amnem Coreniciam, in insidias incidens, interficitur. Interim Turcici Legati Budam ad *Ludovicum* veniunt, ac sub-

dolè

dolè petunt inducias. Thomas Bacocius Archi-Episcopus Strigoniensis, Cardinalis, senio confectus moritur, cui sufficitur Georgius Szakmarius, prius Regni Cancellarius.

1521. Solymanus Belgradum obsidet, & quà vi, quà proditione, ac deditione Thracum occupat, Sabacium quoque expugnat.

1522. Lutheri dogma in publicis Comitijs, à Rege Hungariæ proscibitur. *Ludovicus*, à Principibus Christianis auxilia contra Turcas sollicitat, Rhodus obsidetur à Solymano, & postquam ea acerrimè, & pertinacissimè defensa à Rhodijs Equitibus fuisset, nemine ex Principibus Christianis in auxilium clarissimæ Urbi, ac Insulæ accurrente, ad deditiorem cogitur. *Ludovicus* Rex, cum Maria conjugè, in Bohemiam proficiscitur, juramentumque Bohemis renovat, & Reginam coronari curat.

1523. Obit Georgius Szakmari Archi-Episcopus Strigoniensis, cui successit Georgius Salcanus. Obit & Georgius Frangepanus, Archi-Episcopus Colocensis, in cujus locum substituitur Paulus Tomoræus, olim militarium copiarum ductor, ac dein Sancti Francisci Seraphici Religiosus. Eiusdem anni autumnò, Ferhates Bassa, collecto exercitu, cum quindecim circiter equitum millibus, & trajecto Savo Syrmium irrumpit, totamque ejus viciniam igne & ferro vastat, sed Tomoræus, temerè collectis copijs, hostes fortiter reprimat, fundit fugatque, occiso ipso Ferhate. Obit Laurentius Dux Sirmij, cujus bona, quæ erant amplissima, cum ea ad Fiscum regium redirent, *Ludovicus* Rex, varijs de Republica bene meritis distribuit. Jajezam primarium Bosniæ fortalitiu, rursus Turcæ obsident, sed à Christophoro Frangepano, gloriosè repelluntur, cæduntur, & multis amissis in fugam conjiciuntur, ob quod etiam Frangepanus, titulo Defensoris Sclavoniæ, à *Ludovico* Rege insignitur.

1524. Comiticia Regni, in campis Pesthinis celebrantur, sed ea prorsus turbulentissima, Nobilitate (authoribus, Verböczio & Zobio, partibus Joannis Zapolyani, Comitissæ Scepusiensis, & Vajvodæ Transylvaniæ, nimium quantum faventibus) tumultuante, atque ad privatum Conventum, Hatvaninum, è publicis Comitijs secedente.

1525. Verböczius & Zobius, maximâ coactâ armatorum multitudine, omnia nefarijs suis consilijs Hatvanini turbant, & Regem ac Proceres ad Comiticia Hatvaninum evocant, boni quidem publici prætextu, interim autem ut Stephanum Bathorem ex officio Palatinatûs, locò moveant, eisdemque Joannem Zapolyanum substituant. Seditiosis igitur Rex *Ludovicus* acriter obstitit, & Verböczium ac Zobium seditionis auctores proscibit.

1526. Accidit hoc anno funestum illud prælium, Turcas inter & Hungaros, clades Mohacsiensis nuncupatum, à quo fatali quadã determinatio-
ne, non expectatis subsidijs diversis (quæ jam in procinctu fuerunt) nullo consilio hi abduci poterant. Hungari igitur temerè paucis copijs, nempe viginti sex millibus duntaxat, cum potentissimo exercitu Turcarum configunt, & vincuntur, ac pereunt; perit ipsemet pariter Rex juvenis, cum flore Procerum, tam Ecclesiasticorum, quàm politicorum. Obtentã victoriã Turcæ, excursions & depopulationes bipartito agmine instituunt, uno Balatonem versùs, altero autem Strigonium versùs, (Strigonium nihilominus & Visegradum defensum est) Regina fugit Posonium, Budam advenit ipsemet Solymanus, quam vacuum invenit, eadẽmque relictã, Adrianopolim, ac dein Constantinopolim, cum victore exercitu redit.

1527. Joannes Zapolyanus Comes Scepusiensis, & Transylvaniæ Vajvoda, orbatis Rege Hungaris, Regnum Hungariæ affectat, quem in finem, multos ex Proceribus Tokainum convocat, atque imprimis Petrum Perénium, custodem Sacræ Coronæ sibi conciliat, ab eoque Sacram Coronam sibi consignari, ingentibus promissis impetrat. Mox ibidem in eodem Conventu, proclamatur Rex Hungariæ, conventusque alius Albam Regalem, pro coronando indicitur. Nec diu moratus Budam venit, eamque occupat, & præsidio militari firmat, atque Albæ Regalis inauguratur. Interea Palatinus, & Regina Maria, alia Comitia Regni Posonium indicunt, in quibus à Proceribus Regni, Ferdinandus I. in Regem eligitur, & Joannis irrita electio declaratur. *Ferdinandus* igitur convocato exercitu, in Hungariam venit, Budaque potitur, fugato Vajvodã, & Albæ per eundem Petrum Perénium, Coronã allatã, in Regem coronatur. Joannes vero Vajvoda se in Poloniam recipere cogitur, ubi à Joanne Tarnovio, Castellano Cracoviensi, & exercitûs summo Duce, profugus, Regnõque pulsus, benignè excipitur. Interea Turcæ Jajczam obsident, & ignaviã Præfecti occupant.

1528. Joannes Zapolyanus Ex-Rex, per Lascum Siradiensem Palatinum, auxilium à Solymano Turcarum Imperatore sollicitat, atque etiam impetrat.

1529. Joannes Zapolyanus, contractã aliquã militum manu, in Hungariam è Polonia iter suscipit, cui Optimates nonnulli Transylvaniæ, suas quoque copias conjungunt, quã eum comitivã, Solymano, in campis Mohacsiensis supplex occurrit, benignèque ab eodem recipitur. Solymanus itaque continuatis itineribus, Budam ducit exercitum, eamque deditione, opinione sua citius capit, & Vajvodæ restituit. Mox ad obsidionem Viennæ pergit,

pergit, & ex itinere Strigonium, Jaurinum, Altenburgum, loca à nostris deferta, in suam potestatem redigit, ac Viennam ipsam obsidione cingit, die vigesimâ sextâ Septembris, sed postmodum obsidionem Urbis solvere cogitur. Redux verò inde, Joanni Vajvodæ, Coronam & Regia insignia confert, relictoque Ludovico Gritto, cum tribus millibus Turcarum, apud Joannem, ipse Constantinopolim redit.

1530. Comitia à Joanne Inter-Rege Budam indicuntur, ad quæ tamen pauci ex Proceribus comparent, in quibus Joannes Banfius eligitur in Palatinum Regni. *Ferdinandus* Rex magno ex Hungaria & Bohemia Exercitu collecto, Duce Wilhelmo Rogendorffio Budam, obsidet, irrito licet conatu, Mehemet Belgradi Præfesto Budensibus opem ferente. Interim ne Mehemet frustra venisse videretur in Hungariam, partes Hungariæ, ad Nitriam & Vagum fluvios usque depopulatur, abductis præter ingentem numerum pecorum, circiter decem millibus captivorum. Maria Ludovici Regis vidua, in Belgium, ad Gubernium illarum Provinciarum proficiscitur.

1531. *Ferdinandus* Rex, Romanorum Imperator creatur, & Legatos ad Solymanum mittit, de inducijs & fœdere æquis conditionibus in eundo.

1532. Vajvoda, Pauli Vardani, Archi-Episcopi Strigoniensis defectio-
ne ad *Ferdinandum* offensus, Strigonium obsidione premit, Ludovico Gritto ductore, nec tamen expugnat. Solymanus novam in Hungariam expeditionem suscipit, & ex itinere Ginzium Urbeculam obsidet, quod tamen Nicolaus Jurissius præter omnem spem acerrimè defendit, re igitur infectâ, Solymanus intellecto Caroli V. Cæsaris, cum ingenti exercitu adventu, relicto Ginzio, versus montana Styriæ movet. Interim tamen levioris armaturæ milites in Austriam expedit, qui Linczium usque excurrunt, atque devastatâ undique regione, cœsis, aut captis incolis, & in cinerem redactis pagis, reditum ad Solymanum parantes, à nostris eisdem assequentibus, cæduntur, & in itinere, quindecim millia eorum delentur. Solymanus verò per difficillimas vias, & non sine maximo vitæ periculo, mediâ ferme hyeme, Adrianopolim venit. Et Cæsar quoque in Italiam redit. Eodem anno, Carolus Cæsar, classem ingentem adversus Turcas, Duce Andream Auria expedit, qui *Coronam* oppugnat & expugnat, *Patras* quoque Urbem Achaïæ capit, Dardanellis pariter potitur.

1533. Joannes Inter-Rex, *Ferdinando* pro pace supplicat, & locum illius inducias annuas impetrat. Joannes Banfius Palatinus à Vajvoda ductus, moritur. Ludovicus Grittus autem à Vajvoda Gubernator Pannoniæ
t
desi-

designatur, & Constantinopolim abit. De pace, inter *Ferdinandum* & Joannem Pofonij, sed irrito conatu tractatur.

1534. Grittus in reditu Constantinopoli, in Transylvania, ob eadem Emerici Cibaci, Provinciae Praefecti, à Transylvanis publico supplicio afficitur.

1535. Cassovia, à Vajvodianis ex insidijs intercipitur, & sceddè diripitur, & vicissim à nostris, Satmarinum Vajvoda eripitur. Leonardus Felsus Generalis in superiori Hungaria, à *Ferdinando* missus cum exercitu, ex itinere arcem Perénij Sarossiam expugnat, mox copias à Vajvoda contractas fundit, & Tokainum ad fidelitatem *Ferdinandi* recipit. Interim pax inter *Ferdinandum* & Vajvodam concluditur, & Felsus à *Ferdinando* cum exercitu revocatur. Obiit Stephanus Bathorius Palatinus.

1536. Méhemet Belgradi Praefectus, ex improvise Posegam arcem à paucis custoditam occupat, Glissam quoque premit, alia insuper Croatiae loca, in potestatem suam redigit. *Ferdinandus* his hostilitatibus irritatus, duos exercitus opponit Turcis, atque unum in Dalmatiam, Duce Petro Crusitio, Clissiae Praefecto, alterum verò Duce Joanne Caciano, Posegam & Essecum versùs, ire jubet.

1537. Utraque hæc *Ferdinandi* expeditio, infaustum sortitur effectum, Crusitius enim cum Salonae Castro Dalmatiae immineret, ab Amurathe Usrephi Bosnonensis Praefecti alumno caditur, & profligatur, ac interficitur, mox etiam ipsa Clissia, ostenso capite Crusiaci, aliàs inexpugnabilis timiditate praesidiariorum Turcis traditur. Cacianus verò, in cuius exercitu sedecim millia censebantur, dum Essecum oppugnare decernit, defectu com meatùs, re infectâ recedere cogitur. Nec mora, Turcae nostros discedere animadvertentes, eosdem varijs velitationibus infestant, & ijs persequendis ac infestandis, nullum finem faciunt. Itaque nostri, & fame oppressi, & alijs incommodis exagitati, cum nec pares essent Turcis, nec famis subsidijs, aut ullâ spe aliorum sustentarentur, metùque ingenti perculsi, infamem fugam capessunt, totùsque equitatus, unà cum Duce suo Caciano, sub noctem turpissimè profugit, deserto perfidè peditatu. Mane igitur Lodronius, peditum Praefectus, cum Turcas, qui in propinquo erant, fremere & strepere sentit, equitum copiarum praesidijs se nudatum videns, cum fugæ locus amplius non esset, peditum animos confirmat, atque in ordinem milite disposito gradum promovet, sed vix castris egressi, ab incondita Barbarorum turba, undique circumfunduntur, & licet acerrimè pugnarent, demum tamen dissipantur, & partim interficiuntur, partim capiuntur. Lodronio quoque dum fortissimè pugnat, graviter vulnerato, & capto.

1538. Ufressus & Amurathes, arce Dubiczîâ, & aliquot alijs locis in Croatia potiuntur. Solymanus Petro Moldaviæ Principi bellum infert, eoque in Transylvaniam profugo, Stephanum ejusdem fratrem, Moldaviæ præficit. Interim *Ferdinandus*, & Joannes, ab insidijs Solymani sibi metuentes, adversus eundem copias conscribunt, sed hæc Solymano Constantinopolim redeunte, postmodum dissolvuntur.

1539. Pace cum *Ferdinando* confectâ, Joannes Inter-Rex, cœlibem hæcenus secutus vitam, ad nuptias, ducendamque conjugem animum applicat, Isabellamque Sigismundi Poloniæ Regis filiam, quam ille è Bona Regina Joannis Galecij Sfortiæ Mediolani Principis filia susceperat, in uxorem ducit, & Albæ Regalis in Reginam Hungariæ coronari curat.

1540. Nascitur filius Joanni Zapolyæ septimâ Julij. Quo nuncio vix accepto Zapolyanus, in Száz Sebes moritur, 20. Julij, factò tamen prius testamento, & Georgio Monacho, Episcopo tunc Varadiensi, ac Petrovicio pro Tutoribus filij relictis. Ufressus Bosniæ, & Amurathes Clissæ Præfecti, crudelem in Croatiam excursionem faciunt, & arcem Zrinium obsident, irritò licet conatu. Comites Zriniani vicissim, in ditiores Turcicas, expeditionem suscipiunt, & par pari referunt, abductis in servitutem quàm plurimis hostibus, & magno numero abactis pecoribus. Mortuo Joanne, *Ferdinandus*, vi pactorum, ab Isabella vidua, Regnum Hungariæ repetit, quod quia bonis modis non impetrat, Leonardum Felsium cum exercitu mittit, qui primò Vissegradum, dein etiam Vaciam, ac Pesthum occupat, Budamque ipsam obsidet, sed hanc quibusdam Proceribus diffusis repente solvit. Albam tamen Regalem, in fidelitatem Regis *Ferdinandi* recipit.

1541. *Ferdinandus*, bellum Turcicum, Duce Rogendorffio restaurat, & rursus Budam obsidet, ac proditione jam ferè capit, si ea improspere non successisset incuriâ ipsiusmet Rogendorffij. Interea durante adhuc obsidione Budensi, Solymanus Mahometem Bassam, in auxilium Viduæ præmittit, nostrique ab obsidione à Turcis repelluntur, Rogendorffius quoque ex vulnere & mœrore fato fungitur. Solymanus interea Budam advenit, atque suo & filiorum nomine, Reginæ ac filiolo munera offert, & ut cum Proceribus quibusdam in castra sua filiolum mittat Reginæ imponit & mandat, venientemque blandè excipit, & rursus ad matrem remittit. Verùm mox Reginam cum filio in Transylvaniam amandat, Budamque sibi reservat, ipsèque Constantinopolim redit, Solymano Bassæ recommendatâ Urbe.

1542. Comitia frequentia à Principibus Germaniæ celebrantur Ra-

tisbonæ, & bellum adversùs Turcas decernitur. Convenit itaque multitudo copiosa militum, ita ut florentissimum efficeret exercitum, sed partim ob tarditatem, partim ob discordias, & competencias, nullâ re gloriosè gestâ, dissolvitur. Franciscus Revaius Pro-Palatinus creatur. Infinita Locustarum multitudo ab oriente advolat, corruptisque ubique segetibus vineisque, magnam annonæ caritatem inducit.

1543. Solymanus, instigante Francisco Rege Galliarum, novam in Hungariam expeditionem suscipit, & cum exercitu Samandriam venit. Ulumanes interea Bosniæ Præfectus, in Illyrico aliquot arces occupat. Solymanus verò potestati suæ subijcit Valponem, Soclosiam, Quinque Ecclesias, Strigonium, Tatam, Albam Regalem. Quibus fortalitijs suæ potestati subactis Solymanus, Tartaros ad depopulationes emittit, qui tamen à Comite Nicolao de Zrinio haud leviter molestantur, cæsis eorum amplius tribus millibus. His autem peractis Solymanus Constantinopolim redit, Pontificis interim & *Ferdinandi* Regis auxilia tandem, sed tardiùs, & ferò comparent.

1544. Turcæ Vissegradum oppugnant, ac deditione factâ à præsidarijs siti tantùm non enectis, ob penuriam aquæ & vini, capiunt, præsidarios tamen post deditionem, fide violatâ, Turcæ nefariè trucidant. Neogradum quoque à nostris turpiter relictum occupant, uti & Hatvanum. Quibus successibus animatus Mahometes, altera ex parte, Osoram, Simontornyam, & Dobrogoffum, eodem impetu, deserentibus has arces nostris, sub ditionem Turcarum redigit. Sed & Ulumanes Bosniæ, & Malchus Hercegoriæ Præfecti, Velicam in Illyrico obsident, & per aggressum proditionem capiunt, eadèmq; sorte & *Montem Claudi* occupant, atque eodem progressu, Zrinij & Bidenstenij copias, sibi obviam ad resistendum venientes, cædunt, & dissipant. Insuper & Strigonienfes Turcæ Levam capiunt, & diripiunt, verùm hos *Nyarinus*, domum redeuntes invadit, cæditque, ita, ut pauci eorum reverterentur Strigonium.

1545. Induciæ inter *Ferdinandum* & Turcas, non sine multis difficultatibus, ad quinquennium concluduntur.

1546. Bellum Schalmadicum in Imperio exoritur, ad quod equites Hungari Duce *Nyario* mille centum quinquaginta, à *Ferdinando* evocantur.

1547. Anna Regina, *Ferdinandi* Regis uxor, partûs doloribus extingvitur. Cæsar Carolus V. ac *Ferdinandus* frater, feliciter contra Protestantes bellum conficiunt, qua in pugna, Josephus Lacanus Hungarus, Quinque Ecclesiensis, Saxonix Ducem, Protestantium exercitûs antesignanum, vulnerat, & capit.

1548. Comitia Regni, Tyrnaviam indicuntur, in quibus aliquot Magnatum Hungariæ, scelera, ac rapinæ, discutuntur, & rei, publico Regni decreto, proscribuntur.

1549. *Ferdinandus* Rex, contra proscriptos, & flocci Decreta Regis, & Regni, pendentes, Duce Salmensi expeditionem adornat, eosque ad obsequia, armis redigere, & arces perduellium expugnare statuit. Qui primo Sitnam arcem capit, dein Levam obsidet, & vi occupat, indeque ad Muranum obsidendum, Castra promovet, & Bosonem unum ex rebellibus obsidet, ac proditione capit, atque fugâ elapsum, & ab opillione captum, capite minuit. Paulus Archi-Episcopus Strigoniensis, è vivis excedit. Eodem anno obit Sigismundus Rex Poloniæ, annos natus octoginta unum, ac Franciscus I. Galliarum Rex. Georgius Monachus, Episcopus Varadinensis, Joannis Sigismundi Principis tutor, consilia clandestina, cum *Ferdinando* init. Interim Veliganes Persa, Albæ Præfectus, magnâ Turcarum manu collectâ, inter Jaurinum & Papam regionem populatur, sed à nostris, Duce Paulo Ratkai Papæ, & Emerico Telekessy Welprimij Præfectis, cæditur & fugatur.

1550. Regina Isabella, cognitâ Monachi factione, Comitia Claudio-polim convocat, & Solymani præsidio freta, Georgio bellum infert, cui è contra Georgius, conflato exercitu se opponit, & Turcicas ac Valachicas in subsidium copias, Reginæ in auxilium adventantes, profligat. Post *Ferdinandi* auxiliarem Cæsaris exercitum, Duce Castaldo, accersit, Reginamque adigit, ut Transylvaniam *Ferdinando* cedat, & Coronam ac Insignia Regia, Legatis ejusdem tradat, uti & arces cunctas, quæ suo nomine possidebat. Regina igitur invita, Transylvaniâ excedit, Cassoviaque interim aliquamdiù subsistit. Interea jussu Solymani, Mahometes Beglerbegus, expeditioni Pannonicæ se accingit, ut Reginam cum filio reducat in Transylvaniam, qui ex itinere Chanadinum, aliæque complura castella, sine cæde, & sanguine suorum, in potestatem Solymani redigit. Mox & Lippa, turpiter à nostris deserta, hostium juri cedit. Idem Mahomet, Temesvarinum obsidione cingit, sed cum præsidarij fortiter se tuerentur, decimo quarto die ab inchoata obsidione recedit, & castra Belgradum reducit. Post cujus discessum, nostri Lippam obsident, nec sine magna difficultate capiunt. Oriuntur interim inter Castaldum, & Georgium Monachum, jam in Cardinalium collegium susceptum, & ad Archi-Episcopatus Strigoniensis dignitatem evectum offensiones varijs ex causis, & Georgius à Castaldo insidijs circumventus, è vivis, per sicarios, tollitur.

1551. Solymanus, violatas inducias à *Ferdinando* Cæsare, per occupa-

pationem Transylvaniae, & ejectionem ex illa Isabellæ Reginae, interpretatus, novam in Transylvaniam parat expeditionem, & vicissim *Ferdinandus* Cæsar, supplementa exercitus conscribit, ac novas insuper legiones conducit, cunctaque ad bellum necessaria diligentissimè curat, dum interea Isabella dote à Ferdinando acceptâ, & persolutâ, Cassoviâ in Silesiam iter intendit. Eodem anno, nostri Szegedinum ex insidijs occupare conantur, & quidem oppidum feliciter ex improvise capiunt, sed dum Hajdones Hungari civitatem diripiunt, & spolijs prædisque intendunt, ac vino se ingurgitant, *Aly Budæ* Præfectus superveniens, nostros adoritur, magnaque clade cædit, fugat, aut in diram servitutem redigit, atque in signum reportatæ victoriæ, quinque millia nasorum, ex cadaveribus nostrorum abscissorum, cum quadraginta vexillis, multisque captivis, Bizantium mittit.

1552. Castaldus, Cæsarei exercitus in Transylvania Ductor, Statibus, & Ordinibus illius Provinciæ, *Ferdinandus* verò Rex Hungaris, Posonium Comitibus indicunt. *Aly Eunuchus*, *Wesprimium* obsidet, atque etiam ignaviâ & proditione prædiariorum, paucos intra dies occupat. *Elias Moldaviæ Vajvoda* cum *Walachis* & *Turcis*, Transylvaniam, longè latèque vastat, sed dum domum redire parat, ab insequentibus nostris, prædâ omnireceptâ, non sine cæde suorum, pro merito mulcatur. Adulto dein vere, *Ahometes*, cum *Mahomete Beglerbego* *Temesvarinum* expugnant, *Lippamque*, *Solmosiam*, *Chanadinum*, aliæque fortalitia interjacentia occupant. His tantis progressibus hostium visis, *Ferdinandus* copias militares in unum corpus colligit, iisque *Erasnum Tejsfelium* præficit, sed is infeliciter prorsus cum iisdem configit, amisso siquidem exercitu, ipsemet captus, cum cæteris captivis, & quadraginta militaribus signis, Constantinopolim mittitur. Animati his successibus *Ahometes* & *Aly Eunuchus*, eodem anno *Szolnokum* invadunt, & capiunt, mox etiam *Agriam* obsidione cingunt, sed fortitudine propugnantium, postquam supra duodecim millia ferrearum ingentis ponderis pilarum, in eadem insumpsissent (non numeratis minoribus falconum, & colubrinarum pilis) eandem solvère, *Ferdinando* prædiarios, ob rem bene gestam, liberaliter remunerante.

1553. Legati à *Ferdinando* Cæsare pro pace concludenda, ad *Solymanum* mittuntur, qui, barbarâ arrogantiam, durius ab eo excipiuntur & habentur, ac demum rebus infectis redire jubentur. Interim *Ullumanes Bosniæ Præfectus*, repetitas facit excursiones, & aliquot minora fortalitia in potestatem suam redigit. Eodem anno *Turcæ*, Duce *Hamon*, & proditore quodam *Æthyope*, *Filekinum* fraude, & dolo intercipiunt. Demum comitia à *Ferdinando* Cæsare, *Sopronium* indicuntur, & celebrantur, in qui-

in quibus Thomas Nadaſdius, Palatinus creatur, & Archi-Epiſcopatus Strigoniensis Nicolao Olaho, à *Ferdinando* confertur, Doboni verò, adjuncto eidem Kendio, Præfectura Tranſylvaniæ committitur.

1554. Solymanus, minaces ad Dobonem dat litteras, quibus ei & reliquis Proceribus, ſeriò mandabatur, ut ejectis ex Tranſylvania Germanis, Iſabellam cum filio, in Provinciam reducat.

1555. Tvikonus, Budæ Præfectus, Hajdonum rapinis commotus, Caſoſvarinum invadit, & à noſtris metu conſternatis deſertum, occupat, & mox etiam Babocziam deditione capit.

1556. Solymanus Turcarum Imperator, Szigethum in ſuam poteſtatem redigere intendit, illiùſque expugnandi curam Aly Eunuchò Vezirio committit, qui prompto alacrique animo, & non ſine ingenti faſtu, hoc onus in ſe ſuſcipit, nec diù moratus, cum magno Janicerorum, & equitum prætorianorum numero, Belgradum venit, & ad omnes limitum Præfectos, qui in Boſnenſi Regno, ac Dalmatiâ, & Illyrico, Pannoniæque ac Tranſylvaniæ finibus erant, mandata dat: ut Quinque Eccleſias milite & armis quàm optimè inſtructi conveniant, ibique exercitui ſuo ſe jungant, quò factò motis caſtris munitionem obſidione cingit, ſtructiſque aggeribus, eandem acriter tormentis diverberat. Interim Thomas Nadaſdius, Hungariæ Palatinus, ad liberandam Szigethi obſidionem, Baboczium Turcarum præſidium circumvallat, & quatuor continuis diebus, magnâ vi oppugnat, mox Aly Eunuchus, Szigethianâ obſidione intermiſſâ, Baboczianis ſubſidio accurrit, atroxque prælium cum noſtris committit, in quo Turcæ vincuntur, & in fugam conjiciuntur. Nec ſic tamen de cœptis rebus deſperat Aly Eunuchus, ſed denuo obſidionem Szigethianam repetit. Verùm multis irritis conatibus fractus, auditòque Ferdinandi Archiducis, *Ferdinandi* Regis filij cum exercitu adventu, tandem obſidione ſolutâ, inglorius exercitum ſuum, amiſſis ſuorum in diverſis cum noſtris certaminibus, non paucioribus decem millibus, Bizantium reducit. Ferdinandus quoque Archidux Babocziâ crematâ, & parte quæ ab incendio intacta reſtabat, ſulphureo pulvere diſjectâ, & Corethnâ arce vi captâ, Szigethique ruinis reparatis, ac propugnatoribus collaudatis, & bene remuneratis, copias ad hiberna dimittit, ipſe verò Viennam ad Patrem redit, ab eoque blando lætòque animo excipitur. Deteriore fortunâ Duces in Tranſylvania, & ſuperiori Hungaria, belli conſilia agunt. Nam qui occultè Reginæ viduæ, ac filio ejuſdem Joanni Sigismundo Zapolyano ſavebant, partim ſpontè, partim ſyafu Petrocij, ad arma convolant, ſeditionemque movent, & hac vix à Tahio repreſſâ, Proceres Tranſylvaniæ, novâ inter ſe factâ conſpiratione,

à *Ferdi-*

à *Ferdinando* desciscunt, ac Reginam Isabellam, ejusque filium in Provinciam revocant, unde novum bellum Transylvanicum, quod multo postmodum tempore duravit, exoritur. Cassovia fortuito incendio tota ferè confla-grat.

1557. Arx Constanitza in Croatia, Turcis opportunissima, ex qua non multo post, omnis illa inter Hunam & Colapim regio, in solitudinem redacta est, incertum negligentia ne ac discordia, vel fraude ac proditione Praefecti ejusdem, ab Aly Bassa Bosnia Praefecto capitur. Ferhates, qui Aly Bassae in Praefectura Bosnia hoc anno successerat, successu antecessoris sui elatus, trajecto Savo, partem illam Sclavoniae, quae Zagrabiae adjacet, igne, ferroque vastat, ac populatur, sed à nostris, eum jam cum praeda redirem insequentibus caeditur, & dimidia suorum parte amisâ aegre ipse met, nec sine vulnere evadit. Comitata Posonium, à *Ferdinando* Rege indicuntur, ex quibus Legati Ratisbonam, pro petendis auxilijs contra Turcam expediuntur, quae etiam amplae, à Principibus & Ordinibus Imperij adpromittuntur.

1558. Solymanus, reducta in Transylvaniam vidua, ejusdemque filio Joanne Sigismundo Zapolyano, factus voti compos, spe induciarum, Busbequium Legatum *Ferdinandi* Regis, Constantinopoli retinet, remissis alijs duobus, Antonio Verantio, & Francisco Zaio. Interim *Ferdinandus*, à septem viris Electoribus, Francofurtum congregatis, Imperator agnoscitur. Et Carolus V. ejusdem frater, spontanea resignatione Imperij, & tot Regnorum, alijsque gloriosè gestis rebus clarus, è vivis decedit.

1559. *Ferdinandus* Imperator, Ordinibus Imperij Augustam, & Hungaris Posonium, comitata indicit, & illis quidem ipsemet praest, his autem Maximilianum filium, Regem Bohemiae praeficit, quae magnis querelis & clamoribus fuere satis turbulenta, ob militum regionum gravissimas insolentias. Solutis his Comitatis, Tata arx absente ejusdem Praefecto, ab Ham-fa Turca ex insidijs intercipitur. Duces Isabellae Reginae, novos tumultus moliri tentantes, à Telekessio profligantur, copiaeque eorum dissipantur. Multa praeterea praclare agit & operatur idem Telekessius, pro parte ac commodo *Ferdinandi*, in superioribus partibus Hungariae, arcibus & castellis aliquot eorum, qui Isabellae adhaerebant, ereptis, & nonnullis Magnatibus, qua consilio, qua minis, ad fidelitatem Caesaris reductis, ac demum Turcarum quoque populationibus repressis, verum Cassoviam reversum in morbum incidit, & magno dolore omnium, paucos post dies, annum tertium & sexagesimum agens, extingvitur.

1560. Isabella, Inter-Regis Joannis vidua, ejusdemque mater, Bona Polo-

Poloniæ Regina, obeunt, hæc in natali solo Apulia, illa verò in Transylvania, cum vel maximè conaretur sibi, suoque filio, *Ferdinandum* Imperatorem reconciliare, & fœdus cum eodem sancire, quod ipsum postmodum & ipse Joannes Sigismundus, mediante Poloniæ Rege Sigismundo, qui hunc in finem Nicolaum Prerembium, Archi-Episcopum Gnesnensem submiserat, instanter adurget, sed cum conditiones Cæsari iniquæ esse viderentur, rebus infectis, Legati in Transylvaniam revertuntur.

1561. Moldavia, auctore Jacobo Heraclide Despotâ, ex improvise perturbatur, cui Vajvoda Alexander, Provinciâ cedere, & desperatis rebus, Constantinopolim se recipere cogitur. Ferdinandus Cæsar, Maximilianum filium, successorem sibi in Hungaria declarate constituit, id tamen hæc vice à Proceribus Hungariæ, repugnante plurimum Thomâ Nadasdio, Palatino, impetrare non potuit. Legati à Cæsare & Hungaris, ad Concilium Tridentinum deputantur, Georgius Draskovicus, Episcopus Jaurinensis, Joannes Colosvarius Csanadiensis, & Andreas Duditus Tininientis, Episcopi. Thomas Nadasdius, Regni Hungariæ Palatinus, pestilenti, ac repentinâ febre correptus, moritur.

1562. Inter *Ferdinandum* Romanorum, & Solymanum Turcarum, Imperatores, octennales induciæ concluduntur. Interim Joannes Sigismundus Zapolyanus, in Transylvania novas res molitur, sed à nostris Ducibus Zaio & Balassio prævenitur, & dum cum Cæsareanis Duce Nimethio, congregari audet, in tantum ejusdem Exercitus atteritur, & diminuitur, extremeque ruinatur, ut ipsemet hæc clade auditâ, timore percussus, in Poloniam profugere cogitaverit, nisi à suis animatus, & in spem novam erectus fuisset. Verum mox auctus Turcicis auxilijs, Szakmarinum obsidet, & cum nostri è contra Szeceninum circumvallant, à Hasan Filekiensium Turcarum Præfecto, mirâ celeritate, vincuntur, fugantur, & dissipantur. Hanc tamen cladem Comes Nicolaus Zrinius, Szigethi supremus Commendans, Turcis non diù post refundit ac reddit ad Dravum fluvium, Arslane cum suis in turpem fugam adacto, & in fuga multis hostium, quæ cœsis, quæ captis. Interim & Transylvani ac Turcæ, à Szakmariensi obsidione, rerum necessariorum inopiâ pressi, sine optato successu, discedunt. Dum hæc in Hungaria, & Transylvania, alternante belli & victoriæ vires fortunâ geruntur, Maximilianus incredibili Patris lætitiâ, in Regem Bohemiæ, & mox Francofurti, in Regem Romanorum, eligitur, ac coronatur, interque eum ac Turcarum Imperatorem, octennales induciæ confirmantur.

1563. Idem *Maximilianus*, in Regem Hungariæ Posonij, sacrâ Co-

ronâ redimitur. Moldaviæ res turbulentissimæ, ob Vajvodarum iteratas mutationes, Walachorumque inconstantiam, ac mutuas prodiones.

1564. *Ferdinandus I.* Rex Hungariæ, & Imperator Romanorum, sanctissimè obit. Tumultibus à Transylvanis excitatis, res Hungariæ turbantur, & in apertum bellum exardescunt; à *Maximiliano* Rege, proinde exercitus novus comparatus, Duce Lazaro Svendio, in Transylvaniam mittitur.

1565. Svendus exordio suæ expeditionis, Tokainum obsidet, & octavâ die capit: mox etiam Szakmarinum ab hoste metu desertum, occupat, & novâ munitione, in insula erectâ, firmat. Rivulum quoque Domiarum, deditione recipit: quibus visis Joannes Sigismundus, pacem antiquis conditionibus, haud tamen sincero affectu (ut postmodum eventus docuit) petit, atque etiam impetrat. Sub idem tempus quo hæc geruntur, in superiori Pannonia, haud leve detrimentum in Illyrico à Turcis infertur. Mustapha enim Bosnensis Turcarum Præfectus, Crupam arcem in ulteriori Unæ fluminis ripa sitam, obsidione cingit, & post viginti quinque dies, præsidiarijs fortiter se tuentibus, adeoque omnibus ad unum cæsis expugnat, & paulò post alteram quoque arcem Novium, pari successu, in suam potestatem redigit, ac demum majora arroganti animo volvens, cum septemdecim millibus ad totam illam partem Illyrici, quæ est inter Chrisum & Capronczam, ferro, igneque vastandam, & depopulandam, animum adjicit, sed à Comite Petro Erdòdio, cum magna suorum clade, cæditur, & fugatur. Interea Legati Cæsarei Bizantio redeunt, quibus Solymanus adjungit Hidajetem Scribam, ac Interpretem suum, eâ lege se pacis conditiones servaturum adpromittens, ut Tokaium Transylvano restituaatur, & annum munus honorarium, primo quoque tempore sibi mittatur: sed utrumque Cæsar facere abnuit. Inter hos pacis tractatus cum Turca, à Joanne Sigismundo quoque Legati Polonici, & Transylvanici, Viennam ad Cæsarem, pro firmanda pace mittuntur, sed fide rursus fictâ, propositis Cæsari novis, & præjudiciosis conditionibus; unde Cæsar, Svendianis conditionibus se insistere respondens, Legatum quidem Polonicum honorificè remittit, Transylvanicum verò, uti astutæ prævaricationi obnoxium, in custodia detineri mandat. Quo facto offensus Joannes Sigismundus, advocatis in auxilium Turcis, arcem Jenò vi, Desòvium autem & Vilagosvarinum deditione occupat, mox junctis suis cum Turcis copijs, castra Svendiana, ad Szakmarinum posita, irritò tamen conatu oppugnat: post irritum hunc conatum, Turcæ & Transylvani, ad obsidendam arcem Erdòdium, castra promoveant, quam initio quidem præsidiarij

diarj strenuè propugnant, postmodum tamen incolumitate promissâ, eandem dedunt, sed fide læsâ à Turcis contrucidantur, Erdôdio capto & everso, Husanes, cum viginti quinque Turcarum millibus, rursus ad castra Svendiâna oppugnanda regreditur, & quidem Svendus de summa rerum, proelio cum hoste decernere statuit, sed intervenientibus utrinque impedimentis, levioribus duntaxat proelijs certatur, & ingruente jam hyeme, copiae utrinque dimissæ, ad hyberna redeunt.

1566. *Maximilianus* Cæsar, de Solymani ingentibus belli apparatus certior factus, Augustam, Ordinibus Imperij, Posonium verò Hungaris comitia indicit, & illis quidem ipse præesse vult, his verò Carolum fratrem præficit, in utrisque de illis rebus, quæ ad sustinendum tam formidabile imminens bellum requiruntur, consultaturus. Et quidem in Augustano conventu, non sine summa omnium totius Germaniæ Ordinum alacritate, magna peditum equitumque auxilia, utpote quinquaginta sex millia adæquantia, Cæsari sunt adpromissâ; in Hungaria pariter, decreta sunt, quanta afflictæ vires opesque ferre poterant, pecuniaria subsidia, simulque sancitum: ut secundum antiqua nobilitatis instituta, præsentem in castris Cæsari, quisque pro virili præstò adesse contendat. Solymanus igitur à Transylvano, & Arslane Budensi Vezirio, assiduè ad bellum nuncijs instigatus, initio Junij, superbîa ac furore actus, Bizantio discedit, ac inde lentis itineribus, Adrianopolim pervenit, ac isthic Pertassum purpuratum sororis suæ filium, cum duobus Janicerorum millibus, ac viginti quinque millibus promiscui ordinis militibus, in Pannoniam præmittit, Transylvanis verò & Tartaris, Szakmarinum, aut Tokainum oppugnanda mandat, ipse verò Agriam vel Szigethum sibi in vadenda destinat. Neque Pertassus longas moras trahit, sed quarto Nonas Julias, Gyulam arcem obsidione cingit. Dum verò hunc in modum Gyula lentè oppugnatur, Solymanus cum potiori parte exercitûs Belgradum pervenit, quem ibidem Joannes Sigismundus, cum splendido comitatu adit, cum eoque colloquitur, sed nec in donatus ab eodem ad suos revertitur. At dum Solymanus, ad expugnandam Agriam, cum exercitu suo movet, Mahometes Bosniæ Præfectus, ad Siclosiam, à nostris Szigethianis, inopinato impetu oppressus, cæditur. Cujus clade irritatus Solymanus, omisâ Agriæ obsidione, castra Szigethum promovet, & Pertassus interea deditione Gyulam capit, ac mox etiam Jenô arcem à nostris relictam occupat. *Maximilianus* Cæsar, cum Ferdinando fratre decimâ quintâ Augusti, cum prætorianis, Viennâ, ad sua castra Ovariensia discedit, in quibus supra centum equitum ac peditum simul numerabantur millia, & promotis copijs, castris locatis, ad Jaurinum confidet. Joannes

Sigismundus, sub idem tempus Tokainum cum Tartaris obsidet, atque hi excursione factâ Saros-Patakinum & Munkacziuum versûs, plurima hominum millia, in diram abducunt servitutem. Neque otiaur Solymanus, sed Calendis Augusti, cum tota mole copiarum, quæ ad centum millia equitum, præter Janiceros, & Asapos pedites constituere forebantur, Szigethum oppugnare inchoat, eamque oppugnationem strenuissimè continuat, quæ tamen munitio virtute maximâ, à Comite Nicolao Zrinio propugnatur, ac hostes cum ingenti strage suorum, semper rejiciuntur. Dum interim Solymanus, Alvi profluvio in ipsis castris extingvitur; Mahomete supremo Vezirio ejus mortem celante, pergît acerrima oppugnatio, donec octavâ Septembris, arx quoque interior, ignibus injectis, totaliter incenditur, quo instanti temporis, Mahometes invadendæ arci, signum dari jubet. Quod cum vidisset Comes Zrinus, desperatis tandem rebus, ad mortem heroicè, & forti animo oppetendam se adornat, atque animatis suis, qui adhuc supererant, apertâ portâ, & tormento, cum sexcentorum hostium strage disploso, fortissimè in Turcas irruit, gloriosèque duobus ictibus trajectus, occumbit; ceteri quoque ejusdem commilitones, barbarorum multitudine circumventi, eodem vestigio conciduntur. Periisse autem tota in ea obsidione, ac diversis oppugnationibus, viginti millia hostium perhibentur. Mahometes supremus Vezirius, hâc ratione expugnato Szigetho, factâ prius crudelissimâ usque ad Canisam, & trans Arabonem fluvium depopulatione, exercitum & cadaver Solymani, Bizantium deducit. Joannes Sigismundus quoque, auditâ Solymani morte, solutâ obsidione Tokaini discedit, & Tartarorum excursiones, nonnisi prælio cum illis commisso, sistit & inhibet, demum Cæsar quoque lustrato Comaromio, Viennam extremâ Octobris redit.

1567. Huac in modum transacto magno quidem bellico apparatu, sed effectu eidem minùs correspondente priori anno, præsens annus pariter, sine notabilibus operationibus, tam ex nostra, quàm ex hostium parte præterijt. Svendus enim exercitûs Cæsarei in superiore Hungaria Ductor, satisfactorum se suo muneri existimabat, si arces Bebeci, qui partes Joannis Sigismundi sequebatur, in Cæsaris redigeret potestatem. Et quidem Szenderonem, per præsidarios Cæsareos, qui in ejus oppido agitabant, & quibus liber ad arcem patebat accessus, facillè & ex improvîso occupat. Mox Szádvariam acri obsidione premit, & tandem expugnat, tandem & Munkaczinum, ignaviâ Præfectorum ejusdem, deditione obtinet, verùm Husti oppugnandi consilium, Turcicis & Transylvanicis subsidij deterritus, omittit, reductoque exercitu, Cassoviam redit. Hassanes

verò Temesvariensis, cum suis Turcis, arcem Dedeſſam obſidet, quam eti-
am non ſine ſuorum ſtrage obtinet, indèque Putnokum, & alia minora
caſtella occupat, ac demum flammâ, ferròque Agriæ, Tokaini, & Caſſo-
viæ regiones depopulatur ac vaſtat, ſpectante Svendio, nec cum hoſte
congrèdi auſo. Joannes Sigifmundus autem arcem Kúvariam obſidet,
eâmque vi expugnat, mox ad Rivulum Dominarum caſtra promovet, &
urbeculâ quidem deditibus ſe mox civibus, facili negotio potitur, ſed ar-
cem & munimentum, quod erat in angulo mœniorum, ad ſolis occaſum,
à noſtris exſtructum, & præſidio firmatum, nonniſi cum ingenti cœde ſuo-
rum obtinet, atque in iſſdem caſtris, inteſtinorum doloribus correptus,
lecticâ domum deſertur. Interea *Maximilianum* inter & Selymum Impe-
ratores, octennales induciæ concluduntur, & publicantur.

1568. Joannes Sigifmundus, quietis & pacis oſor, multis, & ingenti-
bus pollicitationibus, Magnates & Proceres Hungariæ, ad defectionem à Cæ-
ſare ſolicitat, & à non paucis etiam aſſenſum impetrat. Verùm conſpi-
ratione detectâ, Cæſar Poſonium indictis Comitijs, totam ſeriem conjura-
tionis regnicolis proponit, ac detegit, & nonnullos ex reis cuſtodix trahi
jubet, reliquis verò conjuratis, pro ſua benignitate veniam dat, cul-
pamque condonat, eòſque in priſtinam recipit gratiam.

1569. Fuit hic, ut præcedentes duo, annus multorum clariffimorum
virorum funeribus per Regnum Hungariæ inſignis. Quos inter fuit Mel-
chior Balaffius, vir utrâque fortunâ clarus, & ſtrenuus belli Dux, Franci-
ſcus Zajus, pacis bellique artibus, ac laborioſâ ad Solymannum Legatio-
ne celebris: Gabriel Perenius, cujus opulentiſſima ditio, cum nullo hære-
de relicto deceſſiſſet, in fiſcum redacta eſt; Chriſtophorus Orzagus, qui
pariter ſine ullis hæredibus mortuus, ampliffima bona, eidem Fiſco regio
reliquit: Stephanus Banffius Lindvanus, Georgius Bebecus, illuſtri fami-
liâ ortus, qui maleſanis conſilij abductus, à Cæſare, ad Joannem Sigif-
mundum deſciverat, cujus ſimiliter arces & bona, (ſiquidem nullos ma-
res liberos reliquiſſet) quæ ſub Cæſare erant, & pro quibus cantopere ar-
mis certatum fuerat, Cæſaris Fiſco ceſſerunt. Atque in his tribus viris,
Orzagorum, & Bebecorum, ut vetus, ita illuſtris familia, & progenies de-
ſecit, ſicut & Pereniorum præcipua linea.

1570. Annus hic, inſolitâ fame, & rerum omnium terrâ naſcentium,
ſterilitate & penuriâ, ingrata ſui memoriam reliquit, ſic, ut multa mil-
lia agricolarum & inopum, ex eo, quòd frugibus carerent, ad inuſitata con-
ſiciendi panis ac eduliorum genera adigerentur: exindèque fieret, ut varij

demum pestilentisque morbi vulgo emergerent, quibus maxima pars mortalium, promiscui sexûs, passim interiret.

1571. *Maximilianus* Cæsar, & Rex Hungariæ, à Principibus Christianis, contra Turcas confœderatis, & contra eosdem ad Echinadas Insulam gloriose triumphantibus, sollicitatur in societatem ejusdem belli ac fœderis, verùm is prudenter advertens, fœdus hoc non diù duraturum (uti postea eventus docuit) ne Turcarum vires & arma, in se unum converteret, in proposito conservandæ pacis, cum Selymo non pridem initæ, constans permanet. Joannes Sigismundus quoque Transylvaniæ Princeps, societatis Turcicæ, & belli incommodorum pertæsus, pacem cum *Maximiliano* init, & eodem anno moritur, ætatis trigésimo secundo, die decimâ sextâ Martij. In cujus locum, à Regnicolis Stephanus Bathorius eligitur, & ab utroque Cæsare, in Principatu illo confirmatur.

1572. Sigismundus Poloniæ Rex, absque hærede obit. Vilis quidam homuncio Gregorius Niger, somnijs suis, & simulatâ vitæ austerioris professione, in superiori Hungaria, novos tumultus concitat, magnâ hominum, etiam armatorum multitudine ad eum confluente, sed à Debreczinenisibus comprehenditur, & publico supplicio afficitur. *Rudolphus Maximiliani* Cæsaris primogenitus, in Regem Hungariæ eligitur, & vigésimâ quintâ Septembris, consvetis cæremonijs, Posonij coronatur. Henricus, Dux Andegavensis, frater Caroli IX. Regis Galliarum, à Polonis in Regem eligitur.

1573. Judicia Octavalia Eperjesinum indicuntur: in quibus Antonius Verantius, Archi-Episcopus Strigoniensis, qui ipsdem præerat, tanquam Locumtenens Regius, moritur, ac eidem in officio Locumtenentis, Stephanus Radetius, Episcopus Agriensis substituitur. Palatinatûs officio interea vacante. Civitas Canisensis ex insidijs, à Turcis nocturno tempore invaditur, ac crudeliter diripitur. In Croatia concitatur seditio rusticorum, contra Nobilitatem, auctore quodam Gubecio, sed maturè sopitur, quamvis non sine armis, ac multorum cæde eorundem, immanisque Gubecij Ducis ipsorum, supplicio.

1574. Carolus IX. Rex Galliarum obit, ejus mortis audito nuncio, Henricus Rex Poloniæ, clam elusis Polonis, discedit in Galliam, fratri in Regno successurus. Moldavia denuò turbatur, cæso perfidè à Turcis Joanne Vajvodâ, qui Bogdano legitimo successori, Principatum illum fraude ademerat. Selymus Turcarum Imperator, apoplexiâ correptus, interit, succedit eidem Amurathes filius.

1575. *Rudolphus* Rex Hungariæ, Ratisbonæ Romanorum Rex creatur.

tur. Pars magna Polonorum Procerum, quorum Princeps erat ipse Archi-Episcopus Gnesnensis, *Maximilianum* Cæsarem eligit in Regem, pars tamen altera factionis Sborovianæ scilicet, prævalet, & Stephano Bathoreo Principi Transylvaniæ, Coronam & Regnum Poloniæ defert, à cujus acceptatione Cæsar, utpote à potiore parte Procerum in Regem electus, Bathorem primò per Legatos adhortatur, dein Bequissium, Bathorei æmulum, ad occupandam, aut saltèm perturbandam Transylvaniam submittit. Sed Bathoreus adhortatione Cæsaris rejectâ, Bequessio devicto, Provinciam Christophoro fratri, cum summa potestate consignat, ipse verò in Poloniam splendido apparatu iter suscipit.

1576, Stephanus Bathoreus, Cracoviæ in Regem Poloniæ coronatur, & Anna Jagelonica, Sigismundi primi filia, ac Secundi soror germana, eidem matrimonio jungitur. Dum Cæsar Ratisbonæ, comitijs peragendis vacat, Turcæ levi ex causa, à Joanne Balassio irritati, non obstantibus inducijs, arcem Plauenstanium, ac dein etjam Devénium, & Simon-tornya, vi & armis, in Hungaria occupant; sed & in Illyrico, castella aliquot, (in quibus & Zrinium, Comitum Zrinianorum Natale domicilium) eadem perfidiâ, potestati suæ subjiciunt. Interim *Maximilianus* Cæsar, & Hungariæ Rex, in iisdem Comitijs Ratisbonensibus obit, quarto Idus Octobris, anno ætatis undequingagesimo.

1577. Carølstadium, ad reprimendas Turcarum excursiones excitatur.

1578. Pofoniensia Comitia à *Rudolpho* Cæsare, & Rege Hungariæ, indicuntur.

1579. Nonnullas arculas & castella, nostri in Illyrico, Turcis eripiunt, quæ Turcæ discedentibus nostris rursus recipiunt. Eodem anno, ibidem Alybegi Szigethiensis Turcarum Præfetti, copiæ à nostris protigantur, Ducibus Georgio Zrinio, Balthasare Battyanio, & Francisco Nadassio.

1580. Satis pacatus hic annus fuit Pannoniæ, durantibus inducijs, & Turcis bello Persico occupatis; non ita tamen, quin sequentiores excursiones tam Turcarum in Christianorum partes, quàm nostrorum ad Turcicas ditones fierent, in quibus plerumque Turcæ viâ discessere.

1581. Comitia Regni Pofonium indicta, quibus Ernestus Archidux, Cæsaris nomine præfuit, rebus infectis (quod nunquam antea contigerat) dissolvuntur. Causa de cælo fulmine tacta, magnâ strage exurit. Variæ Turcarum excursiones, fortiter à nostris reprimuntur, & novæ quoque in ditones Turcicas instituuntur.

1582. Comitia anno elapso dilapsa, redintegrantur, in quibus Nicolaus Istvanfius, in Pro-Palatinalem dignitatem, locò Emerici Czoborij, qui è vivis excefferat, à Cæsare, consentientibus omnibus Regni Proceribus, ac Nobilitatis, in Civitatum ablegatis, substituitur, Salvares Solnoki Præfectus, à nostris, ad arcem Onobiam profligatur. Celebrata est hoc anno Constantinopoli, maximo apparatu, Mahometis Amurathi filij, annorum sedecim adolescentis, circumcisio, ad quam ferè omnes Monarchæ, & Reges, ac comprimis etiam Cæsar *Rudolphus*, invitati fuerant, varijs & admiratione dignis ludis & spectaculis exhibitis, per quadraginta integros dies. In quibus spectandis, cum inter Legatos Gallix, & Hungariæ Regis, orta controversia fuisset, de ordine & dignitate sessionis, altercatione ad Sinanum delata, qui tunc purpuratorum, ac Sultanici consilij Princeps erat, ita dirempta est: ut Regem Gallix, clari quidem, haud dubiè & opulenti, unius tamen Regni esse Regem, Hungariæ, plurimorum Regem fuisse, adeoq; proinde huic præcedentiam tribuendam esse decreverit.

1583. Alia rursus Pofonium Comitata indicuntur, quæ planè fuere turbulentissima, Nobilitate acriter restitutionem suarum libertatum urgente.

1584. Hassanes Szigethi Præfectus, & Ferhates Bosnia, partes nostras, graviter infestant, sed vicissim nostri, iisdem, par pari referunt, eoque commodè armis reprimunt. Lazarus Svendius, & Ruberus, exercitûs Cæsarei in Hungaria summi Duces, è vivis excedunt.

1585. Georgius Draskovitus, Episcopus Jaurinensis, & Regni Hungariæ Cancellarius, vir doctus; ac vitæ morumque sanctimoniâ ac pietate celebris, in Cardinalium Collegium, à Sixto V. Pontifice, cooptatur, & paulò post obit. Moritur hoc quoque anno Christophorus Bathoreus Somlianus, Stephani Regis Poloniæ frater germanus, cui ille Regnum Poloniæ adeptus, Transylvaniæ Principatum cesserat, relicto Sigismundo filio, circiter duodecim annorum juvene.

1586. Pestilentia summa sævit per Hungariam, insuper & terræ motus Pofonium, Zagrabiam, aliâque loca Pannoniæ concutit. Hassanes Præfectus Turcarum Szigethi, nostros populatur, & vicissim Palffius, Alba-Regalenses Turcas cædit. Stephanus Bathoreus gloriosus Rex Poloniæ, è vivis excedit.

1587. Nadasdius militari astu Copanium Turcarum Præsidium intercepit, ac simul diripit, sed vicissim nostri Ujvarino excurrentes, à Budensibus Turcis fœdè profligantur. Ac rursus Savaris Szigethi Præfectus, dum Christianorum ditones populatur, à nostris tumultuariâ manu collectis, &

etis, & hosti occurrentibus, in turpem fugam conjicitur, duobus millibus suorum cæsis, ac totidem captis, ingentique prædâ nostris relicta.

1588. Nostri prælio ad Sixonem commisso cum Ferhate Budensi Vezirio, insigni prorsus potiuntur victoriâ.

1589. Nostri vicissim, temerè tentatâ fortunâ, à Strigoniensibus Turcis cæduntur. Turcæ post quindecim annorum gestum bellum cum Persis, sædus ac pacem cum ijs incunt, bellumque in Hungariam, contra Cæsarem, induciarum fide confisum, nefariè transferre statuunt. Ferhates Budensis Vezirius, à suis occiditur, eique Hasanes in Præfectura substituitur.

1590. Terra, vehementi impetu, Viennæ, Pofonij, Tyrnaviæque, & propinquis eidem locis, ac in Illyrico Zagrabia, & non procul à mari, Segniæ, non sine ingenti mortalium formidine, collapsis quoque ædificijs, concutitur.

1591. Sinanus supremus Vezirius, propositi sui tenax, Pannoniam bello invadendi, Hasani Bosnensi Bassæ in mandatis dat, ut cruentis excursionibus, ad Cæsareanos irritandos, adjacentes ditiones Christianorum infestet, quod dum is exequitur, & factâ in Illyrium irruptione, cum quinque millibus suorum ingentes prædas agit, à nostris Germanis, & Illyris ex finitimis arcibus in unum collectis, cum jam onustus prædâ ad suos rediret, invaditur, & cæditur, sed re collectis viribus rursus excurrit, & Scisciam arcem Capituli Zagrabienfis, irritò licet conatu aggreditur. Alter verò Hasanes, Szigethi Præfectus, arcem Kis-Komaromiensem improvise impetu capit, quibus injurijs Erdôdius Crætiæ Banus, irritatus, *Montem Claudium* vicissim Turcis eripit.

1592. Idem Hasanes Bosnensis, Bihigium in Croatia, obsidione cingit, & deditione capit, ac Petriniam præsidium, contra nos erigit, insuper nostros ab Erdôdio Bano collectos, & erectionem fortalitij impedire volentes, magno impetu aggreditur, & multis cæsis, in fugam conjicit, atque hæc partâ victoriâ, Sciscia, obsidionem iterum repetit, cumque eam in suam redigere potestatem non posset, totam illius viciniam ferro igneque vastat, & depopulatur.

1593. Idem Hasanes Bosnensis, ingentem numerum militum ex omnibus præsidijs contrahit, & Scisciam denuò obsidet; interea Erdôdius & Equenpergius, collectis copijs suppetias ferunt, & acerrimo prælio cum Turcis congregiuntur, & licet longè minores numero fuerint, insignem tamen victoriam de ijs reportant, cæsis hostium duodecim millibus, ipsoque Hasane Bosnensi interempto. Quâ clade Amurathes Turcarum Im-

perator auditâ, bellum Cæsari indicit, & Cæsar denunciacione belli acceptâ, mox exercitum cogit, Petriniamque obsidet. Interea Sinanes supremus Vezirius, adhibitâ suorum celeritate, cum exercitu Belgradum venit, nihilque moratus, filium suum Beglerbegum Petrinienfibus subsidio præmittit, quem ipse quoque cum reliquo corpore exercitûs subsequitur. Nostros interea dilapsis, nec hostem expectare volentibus, aut etiam non audentibus; Turcæ non solum Petrinie obsidionem solvunt, verumetiam Scisciam occupant. Dein etiam Wesprimium, ac Palotam, in suam potestatem redigunt. Dum hæc geruntur, Cæsareus quoque exercitus, in unum coalescit, jam quadraginta circiter millia armatorum numerans, & Albam Regalem aggreditur. Mox obsessis Hasanes Budensis Vezirius, opem adferre nititur, aciéque utrinque instructâ, cum nostris aperto Marte configit, & diu ancepiti prælio dimicatur, hostes tamen tandem vincuntur & fugantur, amissis suorum sex millibus peditum, & quatuor millibus equitum. Obtentâ hæc victoriâ, nostri ab obsidione Alba-Regalensi, ejus commodissimâ occasione omisâ, inconsultè discedunt, domumque reverti maturant. Sed & Sinanus supremus Vezirius, auditâ hæc suorum clade, Essecum revertitur. Ex alterâ verò parte Tiffenbachius, cum Simone Forgach, Stephano Homonaio, Bathorio, & Rakoczio, Sabatum castellum, à Turcis Filekiensibus, paucos ante annos, in Rimæ fluminis ripa, opportuno adversus nostros loco constructum, expugnant, & post, Filekinum quoque deditione capiunt, insuper & auxiliares turcarum copias, Filekini obsidionem solvere volentes, profligant, complurésque minores arces, partim deditione, partim metu nostrorum, à Turcis desertas, recipiunt. Sicque ad hyberna gloriosi discedunt.

1594. Annus hic initio Christianis in Hungaria, faustus fuit, in medio, fortunæ ambigæ, in fine fatalis ferè. Etenim Matthias Archi-Dux Ernesto fratri, ad gubernationem Belgij evocato, in Pannonici belli, nomine Cæsaris, Præfecturâ succedens, initio statim anni, Viennâ Jaurinum profectus, de summa belli deliberaturus, solutis vix nivibus, Neogradinum obsidet, & tandem etiam expugnat. Post Duce Tiffenbachio, Hatvanum, & Strigonium insuper obsidione cingit, Hasanen Budensem, & Beglerbegum, Hatvano opem ferre conantes; cum suis copijs profligat. In Croatia pariter, Maximilianus Archi-Dux, Ducibus Comite Georgio Zrinio, & Sigismundo Herbersteinio, ac Friderico Trautmanstorffio, Bersensam, & Segusium, Turcis metu nostrorum dilapsis, occupat, & Babociam deditione accipit, Dein & Petriniam, ac Scisciam recipit. Verum postmodum adveniente Sinane Basâ, cum centum quinquaginta millibus, nostri, tam
Hatvani,

Hatvani, quàm Strigonij obsidionem solvere coguntur. Siranes verò Bassa, his non contentus, Jaurinum obsidet, atque etiam per deditionem occupat. Papam insuper, aliaque vicina præsidia, in suam ditionem accipit. Dein Comaromium quoque acri obsidione cingit, sed cùm audiret Matthiam Archi-Ducem novis copijs advenire, metu perculsus, eandem solvit.

1595. Sinanes cum triumpho Constantinopolim redux, & ab Amurathe magnâ benevolentia exceptus, animos majores assumit, exercitumque reparat, denuò se regressurum, & majora adhuc præstiturum, ipsamque Viennæ expugnationem, gloriosè sibi, & Amurathi blandiendo pollicetur. Sed & Rudolphus Cæsar, ob amissum Jaurinum, non adeo perturbatur, quin eadem infracti ardentisque animi magnitudine, quâ bellum initio susceperat, generosissimo conatu illud continuare quoque deliberaret. Primum igitur, cum Sigismundo Bathorio Principe Transylvaniae fœdus init, illumque à Turcica subjectione desciscere facit, desponsatâ eidem Christianiâ Caroli Archi-Ducis patris sui filiâ. Deinde hoc mediante, Moldaviae quoque & Wálachia Vajvodas, ad suas pertrahit partes, tum copias suas militares restaurat, easque auget, auxilia insuper à Pontifice, & Hetruriae Duce, quorum illa duobus millibus equitum, & octo millibus peditum, hæc verò tribus millibus peditum constabant, accipit, atque his omnibus Carolum Mansfeldium, exercitissimum belli Ducem, è Belgio evocatum, summo cum imperio præficit. Qui ut Cæsaris, & omnium de se expectationi satisfaceret, Calendis Julij Strigonium circumvallat: Turcasque obsessis opem ferre volentibus, Calendis Augusti feliciter profligat, caesis hostium quatuordecim millibus, cæteris fugatis, castrisque eorum direptis, verum in hoc proelio laboriosissimo, cùm viribus exhaustus, ac sitibundus, fructus varios avidè sumpsisset, molestâ febre correptus, brevi cum magno luctu totius exercitûs, & Christianitatis extingvitur. Quo mortuo, Matthias Archi-Dux, ad Exercitum advolat, & obsidionem strenuè profectitur, ac tandem Calendis Septembris, deditione capit. Mox Vissegradum oppugnare instituit, & feliciter recipit, & quia frigidior autumnus jam præ foribus erat, ope divinâ rebus bene gestis, dimissis, ac distributis per hyberna copijs, Viennam revertitur. Sub idem verò tempus, quo nostri Strigonium oppugnant, Comes Georgius Zrinius, cum Joanne Sigismundo Herbersteinio, Babociam, mox & Petriniam felici successu denuò occupant. Sed neque Sigismundus Bathorius otio tempus terit, nam Bóhciam, Varsocium, Totvardiam, Fadsatum, Lippam, aliaque complura loca fere sine sanguinis effusione, Turcis eripit. Interea Sinanes Bassa, magno acto exercitû, Constantinopoli se movet, primòque Michaëlem Wálachia Vajvodam

vodam aggredi, eandemque Provinciam, uti & Moldaviam, ac Transylvaniam, sub pristinum jugum submittere statuit. Verum Michaël, acceptis à Transylvano debitis ex fœdere auxilijs, quibus Kiralius præerat, maturè adventum Sinani armis præoccupat, & primò Flocium opidum, haud procul à Nicopoli situm occupat, ac funditus diruit, dein Arsonam capit ac inflammat, & Silistriam Urbem amplam, haud dissimili detrimento afficit, insuper Achmatem Eunuchum, cum Turcis, Tartaris, & Bulgaris, sibi obviam venientibus, fundit, fugatque, Bugarestramque ovans regreditur. Interea Sinanes Bassa in Walachiam advenit, & Bugarastam ac Tergostam facillè occupat, Michaële de industria cum exercitu & Kiralio, se ad Alpes recipiente, donec Sigismundus Bathoreus, cum suis copijs, Germano quoque equitatu à Cæsare submisso, unitis, ac Moldavi quoque adessent. Sinan Bassa his intellectis, Bugarestram se recipit, quem Sigismundus cum Michaële, ibidem plenis castris aggredi decernunt: sed Sinanes metu percussus, fugâ inde se proripit, fugientem insequuntur nostri, & assecuti adhuc magnam partem exercitûs, eundem fundunt, cædunt, ac mergunt, ingentique prædâ receptâ, & multis Christianis è servitute liberatis, domum lati revertuntur.

1596. Sigismundus Bathoreus Transylvaniæ Princeps, Pragam ad Cæsarem venit, eique duo difficillima, & maximè ardua negotia suppliciter proponit: unum de permutanda, Cæsarique reddenda Transylvania, alterum de insperato conjugis divortio. Sed Cæsar utrumque, quòd longiori egeret consilio, ac deliberatione, in aliud tempus rejicit, eumque bene in Turcas animatum, subsidijsque, exercitu, tormentis, pecuniâque ad stipendia, jure fœderis cumulatam, benevolè in Provinciam remittit. Appetente hujus anni vere, Clissiam, ante sexaginta annos à Turcis occupatam, in Dalmatia, nostri astu occupant, quam tamen Turcæ rursus ad Calendas Junias obsidione premunt, & recipiunt. Lippam quoque superiori anno à nostris receptam, frustra tentant, sed vicissim & Sigismundus Bathoreus Temesvarinum irritò conatu obsidet, Turcas tamen & Tartaros insigni clade profligat. Memorabilis quoque hic annus fuit oppugnatione Petrinæ, quam Achmad Eunuchus, copioso exercitu obsederat, sed nostris succurrentibus, in turpem fugam conjicitur, & devincitur. Interim Maximilianus Archi-Dux Hatvanum obsidet & expugnat, Vaciam quoque à Turcis desertam recipit. Mahometes Turcarum Imperator, cum ducentis millibus, in Hungariam venit, & Agriam oppugnat, & præsidiariorum ignaviâ deditione capit. Maximilianus Archi-Dux cum Mahomete acriter configit, in quo proelio, primò nostri victores evadunt, sed cum prædæ partæ

partæ inhiant, Turca resumptis animis revertitur, exercitumque nostrum turbat & fugat: periêre hoc in prælio, quo nullum acrius ac magis cruentum eâ tempestate fuit, decem millia ex nostris, ex hostibus verò viginti millia, sicque sine huic anno imposito, Mahometes Constantinopolim revertitur, Maximilianus verò Viennam, indeque Pragam ad Cæsarem se confert.

1597. Sigismundus Bathoreus Transylvaniæ Princeps, cum splendido comitatu, Pragam ad Cæsarem venit, eique Transylvaniam, utpote antiquitus ad Hungariæ Coronam spectantem, his conditionibus resignat: ut Cæsar eidem Principatum Oppolitanum in Silesia redderet, & quorannis quinquaginta millia aureorum penderet. Interim Maximilianus bellum in Hungaria redintegrat, & Papam adoritur, ac tandem deditioe capit, mox & Jaurinum oppugnat, sed adventu Turcarum sub Mahomete Satergi, obsidione relictâ, ad Comaromiensem Insulam se transfert, quam Turcæ maximo numero acerrimòque impetu aggrediuntur, sed fortissimè rejiciuntur, Coloniczio, Nadasdio & Palffio, rem strenuè agentibus. Unde Mahometes castris motis, Pestum exercitum reducit, Maximilianus similiter dimissis copijs Viennam redit. Interea Sigismundus Bathoreus, denud Temesvarinum oppugnat, sed irritò rursus conatu, nam post quadragesimam oppugnationis diem, eandem relinquere cogitur.

1598. Rudolphus Cæsar, Comitiam Ratisbonam Germaniæ Principibus, & Hungariæ Proceribus Posonium indicit, atque illis Matthiam Principem fratrem, his verò Maximilianum Archiducem præficit. Sigismundus Bathoreus, Cæsari Transylvaniam tradit, ipsèque in Silesiam contendit, & Maximilianus Archi-Dux ad capeffendam eam Provinciam à Cæsare mittitur. Sed hoc jam in Transylvaniam appropinquante, Sigismundus ingenti animi inconstantia, ex Silesia, dissimulatâ personâ, Claudiopolim redit, & Transylvaniam rursus sibi vendicat. Michaël Vajvoda Transalpinæ Walachia, in clientelam Cæsaris, uti Hungariæ Regis se submittit. Jaurinum insigni stratagemate, à Svarcenburgio, & Comite Nicolao Palff recuperatur. Mahometes Satergis è contra Chanadinum, Aradum, & Naglacum, loca à nostris metu percussis deserta, occupat. Varadinum à Turcis, & Buda à nostris, eodem die obsidentur, ac post irritos vigintiquinque dierum conatus, eadem quoque die obâdio utrinque solvitur.

1599. Sigismundus Bathoreus, missis Pragam ad Cæsarem Legatis, de renovando foedere agit, verum paulò post mutatâ sententiâ, ac quidem ablegatorum reditu expectato, Provinciam Cardinali Bathoreo cedit, qui tamen eâ non diù potitur, statim enim invasus à Michaël Vajvoda

Transalpinæ Walachiæ, victusque in campis Cibiniensibus, diu oberrans, fame, ac siti confectus, triduo post adversum certamen, crudeliter trucidatur. Ibraim purpuratorum Princeps, cum ingentibus copijs in Hungariam venit, ac de pace cum Cæsareanis Ducibus tractat, sed cum iniquissimas condiciones proponeret, re infectâ utraque pars ad arma revolat, moxque Ibraimus, castra sua nostris castris admovec, & declinato prælio Turcas & Tartaros longè latèque Hungariæ partes, quas nondum sibi subjecerat, populari, urere, ac vastare jubet, ac tredecim millibus hominum abductis, Belgradum, dimissis copijs, regreditur.



X. SYNOPSIS CHRONOLOGICA,

Continens Res memorabiles, nostro Sæculo
gestas in Hungaria.

Anno 1600. Exordio hujus sæculi, accidit toti Hungariæ luctuosa mors incomparabilis viri, ac Herois Comitit Nicolai Palffy, qui post recuperationem Jaurini, plurimâsque res bello præclare gestas, in arce sua Vereskô, anno ætatis quinquagesimo, obiit 24. Aprilis, & sepultus est Posonij. Galli præsidarij Papenses, ob dilationem stipendiorum tumultuantur, atque Michaële Marothi arcis Præfecto in vincula conjecto, quartâ Junij, cum Turcis Albæ Regalis, de fortalitia prodendo agunt. Svarzenburgius proinde nullis medijs præsidarios à perfidia revocare valens, Papam obsidione cingit, in qua etiam postea sub finem ejusdem mensis, glande plumbeâ ictus occumbit. In defuncti hujus locum, subrogatur Melchior Raderus, atque hoc quoque morbo correpto, ac paulò post vitâ functo, Franciscus Nadafdius subrogatur; hoc itaque acrius obsidionem urgente, Galli urbe deserta decimâ Augusti, fugâ sibi consulere volentes, iter Albam Regalem versùs arripiunt; verùm ab Hungaris equitibus deprehensi, ad extremas sylvæ Baconiæ oras, majori ex parte cœduntur, residui

verò

verò à cæde retracti, diris ac exquisitis supplicijs, pro meritis afficiuntur. Supremus Vezirius Ibrahimus, cum 200 millibus Turcarum & Tartarorum in Hungariam venit, atque in transitu Baboczam aggreditur, & quartâ Septembris occupat. Mox Canisam octavâ ejusdem mensis circumvallat: accurrit interea ad obsidionem solvendam cum Archi-Duce Matthia Dux Mercurianus, è Regia Galliæ Regum familia *Valdemontia* oriundus, ejusdemque Legatus Tillius, ac Sigefridus Coloniezius, ex Hungaris verò Franciscus Nadasdius, Franciscus Bottyanus, Georgius Zrinius, & Joannes Draskovitchius ~~Croatæ~~ Banus, sed ob multas difficultates, ac maximè ob comineatûs inopiam, post iteratas velitationes, cum Turcis factas, retrocedere coguntur: Vezirius itaque post nostrorum recessum, majori vi Canisenses premit, ac demum vigesimâ Octobris, quadragesimâ quintâ obsidionis die, fortissimum hoc præsidium, cum magno Christianitatis damno, deditione capit. Sigismundus Bathoreus, rursus resumit Transylvaniæ Principatum, sed à Michaële Vajvoda Walachiæ, qui tunc Cæsaris partes sequebatur, magnâ afficitur clade; ast mox mutatâ aleâ fortunæ, idem Michaël, à Zamojksio Regni Poloniæ Cancellario, ac summo copiarum Duce, reliquisque partes Sigismundi sequentibus, victus è Moldavia, jam priùs quoque à se occupatâ, in Transylvaniam (quam pro Cæsare tunc gubernabat) profugere compellitur. Verùm nec ibi satis tutus, Transylvanis in eum consurgentibus, adscito in societatem belli, ipso Georgio Basta, Cæsarei exercitûs in superiori Hungaria Duce, apud quem per eosdem in suspicionem perduellionis venerat, profligatur, amissôque decimâ octavâ Octobris Walachorum exercitu, Targovistiam fugâ se recipit.

1601. Michaël Vajvoda, Pragam, ad Cæsarem contendit, criminationes apud eum purgaturus, à quo benignè auditus, acceptis in præsentiarum excusationibus, pacificè, quin & multis auctus muneribus, remittitur, ut communicato cum Basta consilio, conjunctisque viribus, de recuperanda Transylvania operam daret, (interea etenim Transylvani à fidelitate Cæsaris, rursus Sigismundo adhæserant) studio igitur Gonzagæ, Cassoviæ in superiori Hungaria tunc Præfecti, Michaël cum Basta redit in gratiam, mox uterque Cassoviâ movet, Transylvaniâque ingreditur, iterumque cœso exercitu Sigismundi, Duce Moysè Siculo, quartâ Augusti, ipsôque Sigismundo decem millibus suorum amissis, vix fugâ elapso, (qua in pugna Rottalius, & Ludovicus Rakoczius strenuè rem gessere) Provinciam pro Cæsare occupant; verùm non multò post recrudescens inter Bastam & Michaëlem simultatibus, decimâ nonâ Augusti, è medio à Basta tollitur, cujus morte intellectâ Sigismundus Bathorius, redit in Transylvaniam, confesse-

confestimque iterum à suis recipitur. Ferdinandus Archi-Dux, cum ingentibus copijs, quà suis proprijs, quà auxiliaribus, & præsertim Pontificijs, Canisam anno superiori amissam obsidet quartâ Septembris, sed prægravissimis cœli tempestatibus, ac intemperie aëris impeditus, obsidionem decimâ quartâ Novembris solvere cogitur. Felicior expeditio fuit Ducis Mercuriani, nam & Albam Regalem, nonâ Septembris obsessam, vigesimâ ejusdem expugnavit, & accedentes ad ejusdem recuperationem Turcas, post Mathiæ Archi-Ducis ad eadem Castra, vigesimâ sextâ Septembris adventum non semel repulit, ac tandem decimâ quintâ Octobris, intantum profligavit, ut de ejusdem recuperatione spem omnem abjicere debuerint. Post hanc enim ultimam pugnam, Turcæ nihil amplius tentârunt, sed dies ferè decem eodem in loco permansère, dein Castris Budam versùs motis discedunt, missis equitum promptissimis, qui nostris proclamarent. *Germanos, cum quibus hisce diebus dimicassent, viros fortes esse omnes ac invictos, nec se cum ullis uspiam melioribus militibus congresses hæcenus, nunc quidem se discedere, sed redituros, experturi, an etiam & imposterum futuri sint tales.* In hac tota expeditione, singularis virtus militaris enituit Ducis Mercuriani, Hoffkirchij, & Coloniczj, Thursonis item, Nadafdj, & Forgachij, Christophoro Bottyani minore, & Matthiâ Ostrozitzio, in ultimo prælio fortiter occumbentibus. Eodem anno moritur Tyrnaviæ vigesimâ septimâ Septembris, Joannes Kutassy Archi-Episcopus Strigoniensis, & Locomtenens Regius. Item Michaël Telekessius, familiæ inter Magnates Hungariæ præcipuæ, ultimus hæres, ob publica latrocinia, ac viarum obsessio-nes, quas per suos exercebat, jussu *Rudolphi* Cæsaris, in ipsis Comitijs, publice Pofonij decollatur.

1602. Dux Mercurianus magno Hungariæ & Christianitatis detrimento extingvitur decimâ septimâ Februarij, Norimbergæ, (quà iter in patriam susceperat.) Budensis Aly-Bassa, ex improvisò ab Hajdonibus capieur, septimâ Junij. Sigismundus Bathori, rursus in gratiam Cæsaris recipitur, Provinciâque Bastæ pro Cæsare traditâ, ad eundem Pragam contendit, ubi tandem post tot inconstantissimi animi argumenta, constantem in arce Lobkovicziana sedem figit. Neque hic tamen adhuc tranquillatæ sunt res Transylvaniæ. Duce enim prædicto Moyse Siculo, Transylvani iterum Turcam, in societatem belli advocant: cui Basta sine mora occurrit, magnâque strage copias ejusdem prosternit, totâmq; Transylvaniam rursus juri Cæsareo subigit; verùm occupatam pessimè administrat, mirè eandem expilando, vastando, ac depopulando; uude ingens consecuta est fames, & ob insolentiam inauditam militum, summa aversio à Cæsare, ac inde etiam

novorum tumultuum occasio. Vezirius interea Budensis Hāsan Bassa, Albam Regalem obsidet decimā secundā Augusti, & vigesimā nonā ejusdem eandem rursus reoccupat. Matthias Archi-Dux vice versā, Budam vigesimā nonā Septembris circumvallat, Rosvumio exercitūs Duce. Et quintā Octobris Pesthum capit, ac sequentibus diebus aliquot vicina Turcarum præsidia in potestatem Cæsaris redigit. Turcæ Canisenses & Szigethienses, Budensibus obsessis opitulari volentes, à nostris, Ducibus Francisco Nadasdio, & Georgio Thurzone, ac Sigismundo Herbersteinio repelluntur, ac cæduntur; ast summus Vezirius nihil clade hâc suorum territus, promotis magna cum celeritate copijs vigesimā secundā Octobris, castra sua non procul à nostris castris figit, ac eodem tempore, quo nostri Budam, ille Pesthum acriter oppugnat, utriusque tamen partis conatus fuere irriti, unde Vezirius primā Novembris Pesthi, Archi-Dux verò, Budæ decimā tertią Novembris obsidionem solvit. Itaque ille Belgradum versùs castra promovet, hic verò Viennam revertitur. Priusquam tamen nostri discederent, à Nadasdio, Thurzone, & Pogramio Ducibus, Adonum, Paxum, & Földvarium occupatur, nativusque miles iisdem pro præsidio imponitur. Eodem anno magna pestilentia vis, & terræ motus ingentes, per Hungariam & Austriam fuere.

1603. Tartari, Comitatum Castriferrei, mox etiam insulam Muraköz iteratis vicibus trigesimā Januarij, & secundā Februarij, ac dein etiam Croatiam decimā tertią Aprilis foedè depopulantur. In Transylvania rursus novi motus fiunt, Duce eodem Moysè Siculo, sed hic à Radula Vajvoda Walachia, Cæsareo cliente, (qui Michaëli à Basta interfecto successerat) castris exuitur, ipsèque interficitur vigesimā secundā Augusti; repararunt nihilominus copias suas Transylvani, verum iterum à Comite Tampirio & Ludovico Rakoczio, cæduntur & fugantur, receptaque rursus Provinciā pro Cæsare; Decem viri à Basta pro gubernio ejusdem constituuntur. Sigefridus Coloniczius, Canisenses Turcas profligat vigesimā septimā Martij. Comes Georgius Zrinus, Nicolai, Szigethianā obsidione clarissimi, filius, quartā Maij Pofonij moritur. Idem Coloniczius, & Franciscus Nadasdius, Turcis Lacum & Bolondvaram ad Lacum Balathonem decimā Junii eripiunt. Eiusdem Coloniczij Hajdones, aliquot minora castella Turcarum expilant, magnamque prædam primā Augusti reportant. Eodem anno, idem Coloniczius & Sulczius, Murathem Budensem, ex improvise adoriuntur, eumque opprimunt, ac cædunt. Operā Francisci Nadasdi, Turcæ ex insula Leporum dicta, Budæ opposita ejiciuntur, ac profligantur, cæsis aliquot millibus eorum vigesimā nonā Septembris. Sigismundus Trautmonstorffius,

& Nicolaus Zrinius, Georgij nuper fato functi filius, regionem Pofegam vastant, & castella duo Turcarum, ad Dravum flumen, infra Baboczam sita, vi capiunt, ac succendunt, incolumémque reducunt exercitum decimâ secundâ Octobris. Eodem anno, Roswurmius, Hatvanum obsidet, decimâ quintâ Novembris, & decimâ nonâ deditioe capit; in hac oppugnatione Hatvani, Germanicus Strafoldus glande grandioris sclopeti è muro ab hoste disposti ictus, vulneratur, ac equo prolabitur, inque vestigio exspirat. Atque sic hæc familia illustris, septem Heroes in Hungaricis bellis occumbentes contra hostem, numerat. Adon arcem nostri temerè deserunt, sextâ Julij. In Transylvania Basta, Lippam, & Lugosium reoccupat, Patrêsque Societatis JESU summa cum injuria, ab Hæreticis Claudiopolitanis, sub rebellione Moysis Siculi ejectos, in urbem restituit.

1604. Franciscus Nadasdius, vir bellicâ laude clarissimus, obit quartâ Januarij, anno ætatis 49. Sub idem tempus, è vivis excessit Mahometes III. Turcarum Imperator, anno Imperij sui 9. eidémq; successit Achmetes, anno ætatis 14. De pace cum Turcis rursus tractari coeptum tertîâ Martij Pesthi, sed ob iniqua postulata Turcarum ea coalescere non potuit, unde infectis rebus utrinque discessum est, revocat proinde ex Transylvania *Rudolphus* Cæsar Georgium Bastam, eúmque universo exercitui contra Turcam præficit, in ejúsque locum militiæ Germanicæ in Transylvania & superiori Hungaria, Belgio Josam substituit. Magnus interim Vezirius Hasanes, totis viribus, contra nos movet, ad cujus solam famam Jagenrafterius, decimâ Septembris turpiter Pesthum deserit: idem faciunt præfidiarij nostri Vaczienses, ac dein etiam Hatvanienses. Quibus animatus Hasanes, decimâ nonâ Septembris Strigonium obsidet, sed à loci præfidiarijs, gloriosè rejicitur, ac ob eorum fortitudinem, & imminentis nostri exercitûs sub Basta Duce potentiæ timorem, decimâ Octobris, obsidionem solvere cogitur. Eodem tempore, iisdem ferè diebus, quibus Strigonij obsidio soluta est, Stephanus Bocskaius in partibus Transtibiscanis, turbulentissimos ac periculosissimos tumultus concitat, adhærentibus eidem Hajdonibus cum suis Ducibus Lippaio & Nimethio, utrôque Blasio, quorum operâ partem copiarum Belgio Josæ, ex improvise aggreditur, ac profligat; mox etiam Belgio Josam, primò Varadinum, ac postea Tokainum, ac demum planè Cassoviam redire cogit, sed is inde quoque à civibus (qui jam clam Bocskaiò adhæserant) excluditur. Quare nullibi satis tutus, Pragam ad Cæsarem proficiscitur. Igitur jussu Cæsaris Basta contra Bocskaium, post Strigonij obsidionem solutam, cum quindecim millibus, quâ equitum, quâ peditum progreditur, ac primo statim prælio Bocskai-

nos hajdones, Duce Blasio Nimethi cædit, & fugat, ipsumque Nimethium capit, & supplicio affici curat.

1605. Bocskaius rursus accitis auxilijs Turcicis, exercitum reparat, Bastæque occurrere statuit, Basta quoque audito hostium adventu, copias suas promovet, ac mox prælio utrinque magnis animis initio, eisdem vincit, ac profligat. Interim exercitus ad dilationem stipendiorum, gravissimè tumultuatur, atque horum spe frustratus, ad rapinas & prædas se convertit, atque nec his contentus, reditum ex superiori Hungaria à Basta extorquet, sicque victoriæ cursum retardat, imò fortunam Cæsaris totam evertit; discedente enim Bastâ cum exercitu, brevi universam superiorem Hungariam, pro se denuo occupat Bocskaius, ac mox Szerenczinum factiosis suis Comitia indicit, in quibus in Principatu Transylvaniæ ab omnibus confirmatur, Principatúsque insignia à Chausio, nomine Turcarum Imperatoris, eidem offeruntur. Basta verò exercitûs tumultuantis seditione coactus, fugienti similis, usque Pofonium venit, insistente ejusdem vestigijs ubique Bocskai, omniæque pro se occupante, Ob nimias siquidem indisciplinati militis Bastiani insolentias factum est, ut etiam qui hæcenus fideles erant Cæsari, Bocskaianis adhæserint partibus. Stephanus Csaki, corrivalis & æmulus Bocskai, veneno è vivis tollitur. Altar quoque Stephanus Bathorius Ecsediensis, sine ullo hærede vigesimâ quintâ Julij, anno ætatis quinquagesimo quinto moritur. Bocskaiiani Ductore Georgio Nimethi, cum Turcis & Tartaris, partes Cis-Danubianas, & Austriæ ac Styriæ vastant, Sigismundo Trautmonstorffio Croatiae Generali, Joanne Draskoviczio Bano, Francisco Battyani, & Nicolao Zrinio, ulterioribus eorundem conatibus fortiter resistentibus. Constans tamen fama est, supra octoginta millia Christianorum, ex solius Georgij Nimethi castris, in Turcicam captivitatem abducta fuisse. Ludovicus Vitalis Episcopus Wesprimiensis crudeliter à Bocskaianis occiditur. Martinus Pethô quoque Archi-Episcopus Colocensis, & Locumtenens, ab iisdem, omnibus exspoliatus, barbarè tractatur. Sed & alij Catholici, præsertim Sacerdotes Religiosi, truculenter vexantur. Stephanus Illyeshazius, ex exilio Polonico, à Bocskai: revocatur. Mahometes Vezirius, visâ tantâ inter Hungaros confusione, Strigonium iteratò obsidet, (contra pacta cum Bocskai: inita) & 35. obsidionis die expugnat, ac occupat. Intendebat quidem Basta novo auctus milite, rursus ut anno priore obsidionem Strigonij solvere, sed à Bocskaianis præpeditus fuit, qui eo pertinaciæ venerant, ut eodem tempore Duce Redeio Ujvarinum (ut sic magis Cæsaris vires distraherent) obsederint, & in castris Georgij Nimethi, auditâ Strigonij Tur-

eis factâ deditone, sublato ingenti clamore, quin & tormentorum, ac bombardorum explosione, stultissimè applauserint. Bocskaius, Budam proficiscitur, ubi, à Vezirio Hungariæ Rex nuncupatur, & Coronam ac Sceptrum, reliquaque insignia regia ab eodem accipit, quamvis is protestatus fuerit, se ea loco muneris, non ad usum, aut Regiæ dignitatis signum acceptare, sed, quòd adhuc legitimè coronatus Rex Hungariæ in vivis superesset. Redux Budâ Bocskaius, animadversis Turcarum technis, Comitiam Carponam indicit, animùmque ad pacem cum Cæsare ineundam adjicit.

1606. Igitur Stephanum Illyeshazium ad componendam pacem Viennam ad Archiducem Matthiam mittit, quæ tandem ultrò citròque agitata, decimâ quartâ Junij certis conditionibus conficitur, ac à *Rudolpho* Cæsare postea confirmatur. In retinendis tamen Societatis JESU Patribus, quos Bocskaiiani è Regno ejiciendos, modis omnibus urgebant, Cæsar auctoritatem suam firmam, ac stabilem esse voluit. Mox expediti Viennâ etiam ad tractandam pacem cum Turcis Cæsarei, ac simul ex Hungaris Bocskaiiani ablegati, qui vigesimâ Octobris, pacis tractationem inchoant, ac post multas & graves conditiones, utrinque propositas, & magna cum contentione disputatas, eandem ad viginti annos concludunt. Sub finem ejusdem anni, 14. Decembris, Bocskaius sine ullo hærede, anno ætatis 50. moritur Cassoviæ, Comitem Valentinum Homonnai, pro successore, in Transylvaniæ Principatum, prærogativo suo suffragio, Regnicolis commendando. Verùm Transylvani eo prætermisso, Sigismundum Rakoczium invitum licet, ac reluctantem, imò & deprecantem, Principem creant. Homonnaius hac spe delusus, ad diripiendos Bocskaianos thesauros animum adjicit, & festim selectiores sedecim currus, quibus ij in Transylvaniam, unâ cum cadavere defuncti vehebantur, ex itinere retrahit, domùmque secum reducit. Idem faciunt cum reliqua parte opum, & alij itineris Duces, & nominatim Nicolaus Nyarius, & Georgius Szecius, sicque malè parta, malè dilapsa sunt. Basta apoplexiâ tactus, è vivis excedit, homo, bello aliàs clarus, qui si abstinuisset rapinis, & Nobilitatis, ac aggressium oppressione, non solum Hungariam, sed & Transylvaniam in fidelitate Cæsaris conservasset. Nicolaus Istvanffius Rerum Hungaricarum scriptor, cum hoc anno finit suam Historiam.

1067. *Rudolphus* Imperator, conditionibus pacis cum Turca initæ, subscribere cunctatur, occultèque novum bellum contra eosdem, pro recuperanda Hungaria, molitur, cui præficere Ferdinandum nepotem, Caroli Archiducis Styriæ filium, statuit, quin & pro suo successore, tam in Regnis Bohemiæ, ac Hungariæ, quàm Imperio eundem (prætermisso fratre Archi-

Archi-Duc Matthiâ) designat. Hinc orta aversio, in Archi-Ducè Matthiâ à Cæsare. Quâ occasione arreptâ Stephanus Illyeshazius, Matthiam Archi-Ducem, ad occupandum Regnum Hungariæ animat, regnicolarumque ad eundem eligendum disponit animos. Nec morâ, Matthias Archi-Dux, sub prætextu componendi Hajdones, qui sub idem tempus, in superiori Hungaria, rursus tumultuari cœperant, incio *Rudolpho*, tunc Pragæ inter privatos parietes commorante, copiosum conscribit militem, præcipuosque Austriæ & Moraviæ Proceres, ad suas attrahit partes.

1608. Itaque ad primam Januarij, Matthias Archi-Dux comitijs publicis indictis Posonium proficiscitur, in quibus ab Hungaris, in Regni Gubernatorem eligitur, confœderationeque Hungarorum cum Austriacis & Moravis confecta, collectisque non contemnendis copijs, statim ineunte vere, Viennâ Pragam versùs contra Cæsarem fratrem movet. Non defuere qui Cæsari vim vi repellere, Archi-Ducique armis obviare svaderent, verùm res omnis juxta Archi-Ducis postulata, operâ potissimum Francisci Dietrichsteinij Episcopi Olomucensis, & S. R. E. Crrdinalis, pacificè composita est. Neque multò post 27. Junij, per eundem Cardinalem, reliquosque Legatos, Coronam Hungariæ, cum reliquis Regalibus insignibus Matthiæ transmittit, (atque ita sacrâ Coronâ postliminio quinquaginta quatuor annorum, in manus Hungarorum redijt) idemque Regnum, unâ cum Austria & Moravia, ac simul successionem in Regnum Bohemiæ, eidem cessit. Archi-Dux potitus hunc in modum Coronâ ac Sceptro Hungariæ, Posonium altera Comitia indicit, ac in ijs in Regem Hungariæ coronatur, 19. Novembris. In ijsdem Comitijs Stephanus Illyeshazius in Palatinum eligitur. Quæ dignitas ab obitu Thomæ Nadasdi, usque ad hoc tempus, per annos quadraginta sex vacaverat. Confirmatur quoque pax cum Turcis inita, ac Petrus Revai, & Stephanus Palfi, Custodes Coronæ constituuntur, Franciscus Forgachius, Archi-Episcopus Strigoniensis, S. R. E. Cardinalis creatur. Sigismundus Rakoczius, tot, turbarum, laborum, ac periculorum pertæsus, spontè cedit Principatum Transylvaniæ Gabrieli Bathorio. Hic autem neglecto Cæsare, confugit ad Turcas, & fidem Orthodoxam, commutat cum Calviniana secta, nempe pretiosam purpuream vestem, cum vili lacerna, non quidem alio fine, quàm ut sic facilius Principatum assequi, & retinere valeret, à quo tamen brevi miser excidit.

1609. Moritur Stephanus Illyeshazius, vir magnarum divitiarum, magnique consilij & dexteritatis, sed Lutheranâ labe infectus, & quidem absque ullis posteris. Ex consensu Regio, pro hærede suo jam prius assum-

pserat Casparum Illyeshazi, sanguine sibi proximè junctum, verùm cum gravi onere, nempe ut veterem ac veram Religionem, cum novitia ac falsa commutaret. Comititia nova à Rege *Matthia* Posenium indicuntur, in iisdemque Georgius Thurzo 8. Decembris, in Palatinum Regni eligitur.

1610. *Rudolphus* Cæsar, ægrè ferens tot Provincias sibi à *Matthia* fratre, quasi vi ereptas, vindictam spirat, novùmque exercitum contra eundem conscribi mandat, sed & hic de omnimoda securitate sibi providere satagit, résque jam ad arma utrinque spectabat, verùm Principes Imperij, se opportunè interponunt, fratresque sibi mutud reconciliant. Res ut cunque pacatæ, hoc anno in Hungaria; in Transylvania verò dubiæ, gliscentibus Indies majoribus simultatibus, inter Radulam Vajvodam Transalpinæ, Regi *Matthie* magis quàm Turcis fidum, & Gabrielem Bathorium Transylvaniæ Principem, mordicus Turcis adhærentem, eorùmque opera, universam Daciam sibi subigere intendentem.

1611. Itaque Gabriel Bathorius ingentem exercitum contra Radulam parat, quo tamen universo, ab eodem Radula exiit ad Brassonem, ac ipsemet fugatur. Quibus intellectis Sigismundus Forgachius, jussu *Matthie* Regis Transylvaniam ingreditur, ac Claudiopolim, aliâque munita loca, ad *Matthie* obsequium traducit. Verùm mutatis rebus, quæ est bellicæ sortis inconstantia, Bathorius reparatis copijs, auxilijsque Turcarum & Tartarorum adjutus, Forgachium cædit, compulsùmque in sylvas, per fines Moldaviæ & Poloniæ, Cassoviam, unde venerat, redire cogit: mox Turcæ & Tartari in præmium laborum suorum, Transylvaniam depopulantur, & ex sola Sicilia, duodecim millia hominum in captivitatem abducunt. *Matthias* Rex, vivente adhuc *Rudolpho* Cæsare, 13. Maij, in Regem Bohemiæ coronatur, & eodem anno, in uxorem ducit Annam, Ferdinandi Archi-Ducis Tyrolensis filiam, die 4. Decembris.

1612. *Rudolphus* Imperator, hydrope, 20. Januarij, Pragæ, anno ætatis unde sexagesimo, Imperij 15. moritur, vir pacis & tranquillitatis, quàm belli amantior. Suffectus est eidem, eodem anno, Francofurti, *Matthias* frater, jam Hungariæ, & Bohemiæ Rex. Turbator fuit Transylvaniæ status, cum enim Bathorius, misisset ad Achmetem Imperatorem Turcarum, Andream Geczium, ut nova auxilia adversus *Matthiam* Imperatorem obtineret, hic sublato jure legationis, oblata Lippâ, Jend, alijsque propugnaculis Varadino adjacentibus Turcarum Tyrannidi, sibi ab Achmete Principatum obtinuit, jussus itaque Mahometes Basfa, Bathorium ejicere, & Geczium in Principem constituere; Bathorius deinde, tam potentiam Turcarum, quàm suorum inconstantiam suspectam habens,

habens, se se in tutelam *Matthiæ* Cæsaris, paulò ante sibi offensi, median-
te Georgio Thurzone Palatino, recipit, auxiliâque contra æmulos implo-
rat, ac etiam impetrat.

1613. Sigismundus Bathori, quondam Transylvaniæ Princeps, sæ-
pè deposito, sæpè resumpto Principatu famosus, moritur hoc anno ex a-
poplexia, Pragæ. Gabriel Betlehemus Constantinopoli, quò pro Principa-
tu sibi obtinendo perrexerat, eundem ab Achmete ipsidem conditionibus
impetrat, quibus Andreæ Geczio is promissus fuerat, ac sine mora ope
Scanderi Bassæ, ac Bosnensis in Transylvaniam redit, eamque pro se occu-
pat, sicque Geczio spe suâ frustratur. Gabriel verò Bathorius his visis,
Varadinum in Hungariam velocibus equis profugit, verùm ibidem non
multò post à suis instigante eisdem Deczio prædicante, perfidè ac prodit-
oriè 27. Octobris trucidatur. His peractis, Turcæ Betlehemum in Prin-
cipatu confirmant, ipsique ex Transylvania exeunt, sed in suo exitu, su-
pra sedecim millia Christianorum secum in miseram captivitatem abdu-
cunt. Idem Betlehemus juxta pacta, Lippam, eidemque vicina loca Tur-
cis tradit, premebat etiam hoc sine arcem Jenò, sed inde à Stephano Pe-
tenházy fortiter rejectus est. Moritur eodem anno Petrus Erdòdi, 27. Fe-
bruarij, & Joannes Draskovics, Croatiae Banus, Posonij, 11. Maij.

1614. Complices necis Bathorij, Joannes Szilasy, & Georgius Na-
danyi, ad comitia Megyesinum citantur, & à Betlethemo, ac Ordinibus sa-
ctum eorum approbantibus, à crimine absolvuntur, sed ab efferatis militi-
bus, & tumultuante plebe, ad mortem exposcuntur, unde in turrim ur-
bis profugere compulsi, cum tantæ multitudini resistere non possent, ex
eadem vi dejiciuntur, sicque morte afficiuntur. Hungari præsidarij tem-
pore hyemis glacie constrictum lacum Balaton transeunt, acriterque cum
Turcis configunt, eisdemque magnâ clade profligant, Kopaniensi & Mo-
hacienfi Begis captis, *Matthiæque* Cæsari Viennam transmissis.

1615. Franciscus Forgach Cardinalis, & Archi-Episcopus Strigo-
niensis moritur 16. Octobris. Eodem anno obiit Nicolaus Istvanfius octua-
ginta annorum, 1. Aprilis, eximius rerum Hungaricarum scriptor. Ach-
metes Turcarum Imperator, à diversis hostibus lacessitus ac pressus, pa-
cem aut potius inducias vicennales cum Cæsare *Matthia* renovat, bellum
aliàs eidem illaturus, nisi eum impedivisset insperata Arabum seditio, &
Cozacorum Constantinopolim usque iteratæ depopulationes, Persarumque
novæ in dies in eversionem Monarchiæ Turcicæ molitiones. Veneti gra-
viter Ferdinando Archi-Duci offenduntur, ob enormia Uskochorum in di-
tionibus suis, terrâ marique patrata latrocinia, ob quæ eidem etiam bel-
lum inferunt, & Forum Julium armis invadunt.

1616. Uskochi, propter tot in ditionibus Venetorum, ac etiam Turcarum factos excessus, à Ferdinando Archi-Duce coarguantur, sed hi Principis sui monita spernentes, eidem ipsi audacter & temerè se opponunt, quare appetiti sunt bello, jubente Ferdinando; quod quidem illi alacriter suscipere, imò & in Styriam irrumpere sunt conati, verùm ab Archi-Duce iteratis vicibus sunt repressi, de audacia & feritate multùm post hac remisère, his tamen non obstantibus, Veneti pergunt bellum susceptum, contra Archi-Ducem in Foro-Julio continuare. Moritur interea Petrus Draskoviczius, vir summi consilij. Dein etiam Benedictus Thuroczy Banus Croatiae, 8. Novembris. Ac demum Thurzo Regni Hungariae Palatinus, 24. Decembris. Petrus Pazmanus in Archi-Episcopum Strigoniensem assumitur.

1617. Ferdinandus Archi-Dux Styriae, ita volente *Matthia* Cæsare, in Regem Bohemiae coronatur Pragae, 29. Junij. Bohemi, Silesitae, Moravi, Lusati, in ejus verba jurant. Achmetes Turcarum Imperator, moritur, succedit Mustafa frater, sed hoc brevi exauthorato, ob innatam stoliditatem & ferocitatem, Osmanes, Achmetis defuncti filius, duodecim duntaxat annos natus, in solio paterno collocatur. Lutherani passim ubique annum centesimum sui Evangelij, per modum Jubilaei, ad imitationem Catholicorum celebrant, quod tamen frivolis disputationibus, & computationibus ab ijs celebratum est, Catholicis ridentibus, quòd hæc ratione novitatem fidei suae, publicè, ac ultroneè profiteri voluerint.

1618. *Matthias* Imperator Pofonium Comitata indicit, in quibus Ferdinandus Archi-Dux, & jam Bohemiae Rex, in Regem Hungariae coronatur, 1. Julij. In iisdem Comitatis Sigismundus Forgach, in Palatinum Regni Hungariae eligitur. Moritur hoc eodem anno Viennae Maximilianus Archi-Dux, Cæsaris frater, & Anna Imperatrix prægnans. Cometa horribilis comparet, sub ipsis comitijs Pofoniensibus. Pragae datum est à Protestantibus tumultuum ac apertae rebellionis initium, quae post se illi adem traxit calamitatum, quibus Hungariam quoque miserè involvit.

1619. *Matthias* Imperator, extingvitur Viennae 20. Martij, aetatis anno sexagesimo secundo, Imperij sexto, cum novem mensibus, cui in omnibus Provincijs hæreditarijs, ac Regnis succedit *Ferdinandus II.* in quo nihil ad justum, bonumque Principem desiderabatur, sed cum esset Catholicæ fidei mirus zelator, contra eum mox seditionem movent Viennenses cives Lutherani, in auxiliùmque Comitem Henricum Matthiam à Turri, Bohemicarum rebellium copiarum antesignanum evocant. Ast DEUS pijsimum Principem, non sine luculento prodigio ab extremo periculo

riculo eripit, seditiososque confundit; Hos ille protinus exarmat, ac deinceps etiam Moraviam & Bohemiam ad obsequium redire satagit, atque eodem anno in Imperatorem Romanorum eligitur, ac coronatur Francofurti 18. Augusti. Hoc eodem anno Gabriel Betlehemus Hungariam invadit, Catholicis, & DEO sacris crudeliter exceptis. Adhæret eidem continuo superior Hungaria, Comite tamen Georgio Homonnai nullâ ratione, à fidelitate Cæsaris recedere volente. Tota igitur belli moles in hunc versa est, sed is mature sibi consulens, in Poloniam jam se receperat. Sævitur igitur est in ejusdem amplissima, quæ habebat bona, Arces omnes occupatæ, ac thesauri direpti; quâ expeditione confectâ, Betlehemus, Cassoviam Comitatus indicit, omnisque Comitatus ad montem Fatra usque inclusive, ad fidelitatem sibi præstandam cogit. Interea dum Betlehemus, Cassoviam moratur, Georgius Széchi, milites confiniarios ad ejusdem partes sequendas, quâ minis, quâ promissis attrahit, cæteros imitati sunt Ujvarienfes præsidarij, hoc insuper pro auctuario suæ perfidiæ addentes, quod Petrum Koháry Arcis Præfectum, secum idem sentire nolentem, incaptivaverint, & vincitum Széchio in manus tradiderint. Erat hic Petrus Koháry parens illius Stephani, qui præterito bello Turcico, gloriosè pugnando pro Patria occubuit, & avus moderni Stephani Kohary, qui nuper Filekinum tam strenuè contra hostes Christianitatis propugnavit, & similiter ac avus, in captivitatem à suis traditus est. Superiori itaque Hungariâ in ordinem redactâ, relicto ibidem Georgio Rakoczio, ipse Posonium usque progreditur, & à civibus magno cum applausu intromittitur. Erat tunc in arce Posoniensi, Sigismundus Forgach, Regni Hungariæ Palatinus, cum Coronæ custodibus, hos Betlehemus varijs pollicitationibus per iteratas ablegationes, ad se in urbem evocat, ac post multas compromissiones, ad suas partes attrahit, ipsamque Coronam sacram sui juris facit. Hinc transmissâ parte copiarum per Danubium, partes Cis-Danubianales peragrat, cui absque tergiversatione, imò ultroneè arces, Comitatus, & Magnates omnes se se submitunt, Ginzio solo, ex Proceribusque, Nicolao Elzterhazy, Georgio Zrinio juniore, & Thomâ Nadaldi, in fidelitate Cæsaris permanentibus. Interea Comes Georgius Homonnai fidus Cæsari, validis subsidijs e Polonis & Cozaccis conscriptis, in Hungariam superiorem erumpit. Occurrit eidem Rakoczius, pro tuenda Hungaria superiore à Betlethemo relictus. Pugnatur utrinque strenuè, ac prælium in biduum protrahitur. Poloni tandem fugam simulantes, Hungaros & Transylvanos dissolutis ordinibus, sibi instantes, ac prædæ inhiantes, reversi, fundunt, ac profligant. Peditatum totum ferè cædunt; Rakoczius cum equitatus parte, vix fugâ se salvat,

cujus rei auditâ famâ Betlehemus, Sopronio, Pofonium redit, eoque Comititia indicit, pro pace concludenda, in quibus multum ultrò citròque actum, sed iniri non potuit; tota igitur spes ejusdem in futurum, in armistitium præfens commutatur. Hoc eodem anno Fridericus Comes, Palatinus Rheni, in Cæsarem insurrexit, ac se Regem Bohemiæ dixit, & necdum rebus bene firmatis, coronam sibi imponi præcipiti festinatione curavit.

1620. Moritur Thomas Nadaſdius 29. Februarij. Extingvitur quoque veneno in Polonia 25. Julij, Comes Georgius Homonnai, cum magno Cæsaris, & Republicæ detrimento. Comititia à Betlechemo Neosolium indicuntur, in quibus à tumultuantibus in Regem Hungariæ eligitur, ac multa nefanda in iisdem constituuntur. Interea sub auxiliorum prætextu, (ex occulto tamen Betlehemi consensu) à Vezirio Budensi Lippa obsidetur, & per deditonem à Francisco Struz factam, occupatur. Cis-Danubiana confinia, ad Betlehemianas partes transeunt, arciumque Præfectis ultroneè à fidelitate Cæsaris deficientibus, solo Paulo Zicſi Weſprimienſi Capitaneo excepto, quem ob id proprij præſidiarij invadunt, præſidiòque eji-ciunt. Comes Nicolaus Eſzterhazi, in sua arce Lacompaſienſi, à Stephano Hufzár obsidetur, obſeſſo opportunè ſuccurrit Tampierius, ſicque hoſtis magna cum clade rejicitur, fugatur, cæditur. Hæc clade ſuorum intellectâ Betlehemus, Danubium ruſſus ipſemet tranſit, & dictam arcem Lacompac occupat, Ginzium quoque invadit, ſed ſtrenuè à Chriſtophoro Hagymáſy inde repellitur. Interea Tampierius Pofonium cum novemdecim millibus, terrâ & Danubio tentat, ſed dum arcis ſitum perſpecturus circumambulat, glande plumbeâ ictus proſternitur, cæſo Duce, miles Hamburgum redit. Comes Frangepanus Croatiae Banus, cum Regnicolis inſurgit ad repellendum Betlehemum, qui Dravum tranſire, & Croatiam quoque jam ſibi ſubigere intendebat, quâ Croatarum reſolutione viſâ Betlehemus, à propoſito deſiſtit, indèque per partes Sopronienſes, in Auſtriam movet. Mox Hamburgum iterato aſſultu aggreditur, ſed non cum exiguo ſuorum damno repellitur. Interea Ambroſius Spinola cum exercitu Hiſpanico Palatinatum ingreſſus, in eo multa oppida, quâ vi, quâ deditone capit. Elector quoque Saxoniæ Cæſarianas ſecutus partes, occupat Luſatiam. Maximilianus Dux Baviariæ, Auſtriæ ſuperioris rebelles domat, Provinciâque Cæſari ſubjicit; mox in Bohemiam movet, & cum Bucquoio Cæſarei exercitûs Duce, junctis viribus, urbes aliquot recipit, demumque ad ipſam Pragam pervenit. Oppoſitus illi erat Friderici Palatini, & Bohemorum exercitus, in Albo monte caſtris opere militari munitus, conſecturus de ſumma totius rei cum Cæſareanis. Igitur initum eſt

certa;

certamen ipso festo Sancti Martini, Dominico à JESU MARIA Hispano, Carmelitâ, certissimam victoriam Cæsareanis promittente. Resistunt aliquamdiù hostes, sed repentinâ Hungarorum fugâ, (quorum novem millia Betlehemus Palatino submiserat) turbantur ordines; auget terrorem *Maximilianus*, plenâ acie exercitum Palatini aggrediendo, fit ingens hostium strages, fuga, & cædes: ipse Palatinus amisso exercitu, cum uxore, ac liberis Wratislaviam in Silesiam fugit: postridie victores Pragam triumphandi intrant, ac totam ferè Bohemiam, & brevi Moraviam quoque ac Silesiam ad Cæsaris obsequium trahunt. Betlehemus intellecto infaulto casu Friderici consternatur, & conversus ad consuetos sibi dolos, de armistitio, vel pace componenda, cum Cæsare agere incipit, ipso Palatino Forgachio mediante. Annuit ejus postulatis optimus Cæsar, nîl aliud desiderans, quàm quietem Regni, ac tranquillitatem, atque sic terminatus est hic annus,

1621. Conventus itaque pro tractanda pace statim anni hujus initio Hamburgum indicitur, cui interfuere Gallici quoque Legati, ut intermediatores, totâque Hyems hac de re consultantibus consumitur, sed inani prorsus eventu. Gabriel enim nec titulo Regis abstinere valuit, nec seriò pacem intendere visus est. Clam enim interea Turcarum & Tartarorum subsidia contrahebat: unde etiam contracta est invidia, & in Hungariæ Proceribus gravis ab eodem aversio. Hinc conventu finito, Sigismundus Forgachius, Viennam directè perrexit, & in gratiam à Cæsare receptus est, hunc subsecutus est Georgius Szécsi, qui insuper Franciscum Redéi, Betlehemi exercitûs Ductorem, vi adortus, cœpit, & multos ad Cæsaris partes traxit. *Ferdinandus* evanescente spe pacis, duos exercitus in Hungariam mittit, unum ad partes Trans-Danubianas, quem committit Comiti Colaldo, & Comiti Nicolao Eszterházy, alterum verò ex hac parte Danubij, cui præficit Palatinum, & Comitem Bucquoium Generalem: Betleheмо interim unâ cum Corona Veterosolium, inde Cassoviam, ac tandem Ecsedinum recedente. Multæ Civitates ac Comitatus spontè redeunt ad Cæsaris fidelitatem, Ujvarinum tamen quod propugnârat Stanislaus Thurzo, vim experiri gestiebat. Hoc igitur Bucquoium obsidione cingit: jamque in arcto erant res Betlehemi, cum obsessi in pabulatores erumpunt, & Bucquoium audacius ad auxiliandum pròvectum, multis vulneribus confodiunt. Ex iisdem castris Sigismundus Forgachius Palatinus, morbo contracto Tyrnaviam revertitur, ibidémque diem extremum claudit. Thomas Bosnyakius, & Stephanus Palffius, dum cum parte una exercitûs Comitatus supra Fatram sitos, pro Cæsare occupare satagunt, circum-

venti à Betlehemianis capiuntur, & Betlethemo Cassoviam vincti remittuntur. Auditâ morte Bucquoij Betlethemus, Cassoviâ novo cum exercitu movet, & magna cum celeritate Ujvarinum properat: cujus vel solâ auditâ famâ, Cæsareani, utpote Duce destituti, viginti octo ingentibus tormentis, alijsque plurimis impedimentis relictis, Pofonium usque recedunt, ibique castris metatis vallo se muniunt: Betlethemus proinde Ujvarino Tyrnaviam venit, ibidémque se se Joanni Georgio Marchioni Jagerndorffio conjungit. Pofonium dein, sed irritò conatu impetit, & post cuncta circa Pofonium depopulatus, Szakoleczam penetrat, ac inde intactas hæcenus Austriæ & Moraviæ partes devastat, ultimâ tandem à Cæsareanis sæpius carptus, Jagerndorffij in Silesiam recessu, & comœatûs inopiâ, ac Transylvanis dilapsis, animo fractus, rursus ad pacis consilia animum applicat. Conventionis igitur locus de pace conficiendâ à Cæsare constituitur Nikelspurgum, quò Cæsar nomine suo misit Cardinalem Dietrichstein, Episcopum Olomucensem, Petrum Pazmanum, Archi Episcopum Strigoniensem, & Comitem Nicolaum Eszterhazy, præter alios aulae suæ Primates, Betlethem verò Emericum Thurzo, ac Joannem Sándor, cum nonnullis alijs. Atque sic totum residuum hujus anni in tractatione ejusdem Pacis consumitur. Comes Christophorus Erdödi in florida ætate moritur. Petrus item Balassius cum minore natu fratre, extingvitur.

1622. Ipso die Novi anni, pax inter Betlethemum & Cæsarem inita, publicatur. Abdicat proinde se Betlethemus titulo Regis Hungariæ, & Coronam Cæsari restituit. Econtra Betlethemo cessere complures arces in Hungaria superiore, cum septem Comitibus, sed duntaxat ad finem vitæ, datus insuper titulus Principis Romani Imperij, cum Opavia & Ratiboria Silesiæ Ducatibus, statu Religionis, & Jesuitis in locum quo ante bellum fuerant, rejectis. Dimissi utrinque captivi gratis, excepto Palffi, qui in sui exsolutionem pro lytro quinquaginta millia florenorum Betlethemo deponere debuit, quantam summam nec Turca ab eo exegisset. Eodem anno *Ferdinandus* Cæsar Sopronium indicit Comitiam, in quibus in Palatinum eligitur Stanislaus Thurzo, & Coronâ deductâ Trenchinio Sopronium, Eleonora Augusta, in Reginam Hungariæ coronatur.

1623. Inconstantissimæ mentis Betlethemus rumpit rursus pacem, & auxilijs Tartarorum ac Turcarum adjutus, mensè Septembri, maximas agit per Moraviam devastationes, quâ occasione usi Turcæ ac Tartari, multa millia Christianorum in durissimam abducunt servitutem, quorum tamen magnam partem, reduces hostes cum præda, invadendo, liberat Comes Nicolaus Eszterhazy, Ujvariensis pro tunc Generalis, dilapsis Tartaris ac Turcis,

cum

cùm nec auxilia Germanica à confœderatis Betleheмо promiffa comparerent, ad novas inducias is animum applicat, quas etiam à Cæsare pacis cupidiffimo, facile imp. trat. Inter has cunctas revolutiones, Croatæ omnes constantes mansêre semper DEO, Regi, Regno, & Coronæ fideles, nempe quia constantes Catholici, nec unquam ad novitates Lutheranæ, & Calvinianæ sectæ prolapsi.

1624. Tota anni hujus hyems, in tractanda pace inter Cæsarem & Betlehemum transigitur, ac tandem etiam conficitur, eidem arcis Ecsediensis perpetuitas conceditur, sed Opaviâ ac Ratiboriâ Dueatibus, titulô- que Principis Imperij privatur. Comes Thomas Erdôdi eximiarum virtutum vir, magno cum luctu omnium bonorum, 17. Januarij, ætatis sexagesimo septimo, in arce sua Krapina vivere desijt.

1625. Fatalis hic annus fuit, aliquot præcipuorum Magnatum obitu. Mortuus siquidem hoc anno est Comes Nicolaus Zrinius Cfactor- næ, 24. Martij; Stanislaus Thurzo Palatinus 1. Maij; Franciscus Battyani, 13. Septembris; sed & Georgius Szécsi, à proprijs famulis perfidè occiditur. Pax inter *Ferdinandum* & Amurathem inserto etiam Betleheмо renovatur. Comitiam Sopronium à Cæsare indicuntur, in quibus Comes Nicolaus Eszterhazy, in Palatinali dignitate Thurzoni sufficitur, & *Ferdinandus III.* in Regem Hungariæ, ætatis anno decimo septimo eligitur, ac octavâ Decembris coronatur.

1226. Gabriel Betlehemus matrimonio sibi jungit Catharinam, Brandenburgici Electoris filiam, & rursus ad innatam sibi inconstantiam redit, bellumque Cæsari tunc in Imperio occupato, indicit, stimulantibus haud dubiè illum ad id Principibus Imperij A catholicis, qui & Sveciæ, & Daniæ Reges concitaverant ad arma sumenda hoc sine, ut fidem Catholicam opprimerent, & si fieri posset, penitus extingverent, sed frustra. Non enim est consilium contra Dominum, neque irrita fieri potest æternæ veritatis promissio, vi cujus neque portæ inferi prævalebunt contra fundatam à Christo Ecclesiam. Missus est hoc eodem anno in Imperium, cum selectis mille militibus Croatis, Comes Georgius Zrinius, Banus Croatiæ, ubi etiam pro Cæsare insignem militarem navavit operam. Ad instantiam & falsam informationem Betlehemi, jussu Turcarum Imperatoris Mechemetis, Vezirius Budensis strangulatur, in ejusque locum Murtezan Bassa Boshensis constituitur, qui mox nefario ejusdem Betlehemi consilio, cum Cæsare foedus rumpit, & viginti sex pagos in Comitatu Nitriensi depopulatur. Interea Ernestus Mansfeldius, Caroli Mansfeldij, Strigonij recuperatoris, ex thoro illegitimo, frater naturalis, & Dux

Vinariensis, cum quindecim millibus, per Germaniam, Silesiam, & Moraviam, repentino itinere, uti inter eos conventum fuerat, ad Betlehemum in Hungariam veniunt, quorum vestigijs ubique insistens Walsteinius, ex Imperio Galgoezium usque eisdem est secutus. In ejusdem comitiva fuit etiam Georgius Zrinius, Croatiae Banus, ac Nicolaus Eszterhazy Regni Palatinus, Hungaricas suas copias cum ipso conjunxerat. Eodem autem tempore Murtezan Vezirius, Neogradinum gravi obsidione premebat, defendente illud strenuè Paulo Eszterhazy Palatini fratre germano, sed intellecto Walsteinij & Palatini adventu, multis suorum desideratis, repente obsidionem solvit. Solutà feliciter obsidione, Walsteinius cum castris ad Ujvarinum recedit, Betlehemus verò sua castra castris Turcicis, ad Palankam conjungit; mox uterque exercitus, mutuò sibi appropinquant, ac generali conflictu concurrere volunt. Betlehemus visâ majori Cæsareanorum potentiâ (nam præter Hungaros, ac Croatas, ex Germanis quadraginta millia peditum, & viginti millia equitum, in castris nostris, effectivè numerabantur) ad consuetas suas fraudes recurrit, armistitiùmque pro una, vel altera tantùm die concedi, à Walsteinio postulat, offerendo se pro mediatore pacis recentè ruptæ, inter Cæsarem & Turcas, certò, sine ulteriori dilatione conficiendæ, sicque inducias usque in crastinum à Walsteinio impetrat, (frustra reclamante Palatino, qui jam versutiam ingenij Betlehemij noverat) sed Betlehemus unâ cum Turcis clam eadem nocte se subducit, ac tribus miliaribus inde recedit, Walsteinio fraudem non nisi in sequentem diem advertente, ac tunc etiam hostem insequi intermittente. Fuit hæc occasio magna hostem penitus delendi, sed principium illud, *de conservando milite*, victoriæ fortunam impedit. Verùm neque per hanc evitacionem & declinationem prælij conservatus est miles: nam donec in Provincias hæreditarias Walsteinius exercitum reduceret, peste, ac morbis, prope vigintiquinque millia militum in eo perière, quot in conflictu nunquam periissent, aut saltèm cum hostium ruina. Betlehemus rursus cum Turcis & Mansfeldianis ad Levam castra figit, Walsteinius verò Tyrnaviam versùs regreditur, ubi ad rigidam hyemem usque hæsit, atque devastatis illis omnibus partibus, demum in Silesiam & Moraviam, ad hyberna redijt; similiter & Betlehemus, ac Turcæ in hyberna militem suum distribuunt: ast Mansfeldius, & Vinariensis ad summas angustias rediguntur. Videbant enim intentiones suas cum Betlethemo non progredi; regredi autem unde venerant, Cæsareanis ubique invigilantibus, non erat integrum. Igitur Mansfeldius omnibus tormentis, Vezirio Budensi donatis, vel ventis, traditisque Duci Vinariensi copijs, assumptis suorum expeditissimis,

Budâ per partes Croatiae & Dalmatiae Turcis subjectas, Venetias percurrere instituit: Verùm in Bosnia dissenteriae malo correptus, ibidem miseram efflat animam. Sed & Dux Vinariensis, dum plurima per Hungariam molitur, morbo corripitur, eoque triginta duos annos natus consumitur, militum quos duxerat, parte magna demortua, non exigua quoque in perfidiam Turcicam transeunte. Sub finem ejusdem anni, moritur Comes Georgius Zrinius Croatiae Banus, 18. Decembris, Posonij, annorum 23. sed vel in hac ætate ipsa, singularis experientiae, & virtutis militaris.

1627. Agitur hoc anno iteratò de reintegranda pace à Betlehem rupta, sed hic perfidè ac occultè evocat quadraginta millia Tartarorum, quibus in itinere à Polonis caesis, ipse quoque tandem pacem amplectitur.

1628. Pax aliqua tandem Hungariae reddita: funesti interim belli Svecici, quod postea Hungariam quoque involvit, jaciuntur semina.

1629. Moritur sine ullo hærede Betlehemus 16. Novembris, (multis criminibus, & potissimum confederationibus Turcarum & Tartarorum, crebrisque foederum, & pactorum violationibus, apud Christianos infamis) ex immani dolore pedum, quo in tantum cruciabatur, ut plantas quoque fluidis humoribus educendis, ferro findi jussit; accessit ignis sacer, ita, ut omnia Elementa in poenam tot criminum, in eum conspirasse viderentur.

1630. Adoritur Imperium Svecus, & ab A catholicis, quorum rem potissimum gerebat, patentibus portis passim, cum applausu suscipitur. Cassovia, Tokainum, cunctaque ad vitam Betlehem concessa, redeunt ad Caesarem; Betlehemus 20. Januarij sepelitur. In Transylvania varij motus. Esto enim Betlehemus statuisset, ut Catharina ejusdem conjunx, habito duodecim virorum consilio, Provinciam gubernaret, ob discordiam tamen Procerum, regimen hoc diu stare non potuit. Igitur Catharina Brandeburgica, in comitijs publicis Claudiopoli celebratis, cedere Principatui à regnicolis jubetur. Ipsi autem Transylvani discordibus votis, pars Stephanum Betlehemum, demortui Gabrielis fratrem, pars Georgium Rakoczium pro Principe agnoscebant: praevalet tandem Stephanus Betlehemus, Principatûque (sed brevi amittendo) potitur.

1631. Vix inchoato Regimine Stephanus Betlehem, à suis gravem aversionem experitur, præter externos, domesticos quoque sentit hostes, Comitem Stephanum Betlehem scilicet, filium proprium, & generum Davidem Zolyomium. Hi enim Georgium Rakoczium ex superiore Hungaria evocant Varadinum, ac inde in Transylvaniam, qui sine mora Provinciam intrat, & à Betlehero Principatum extorquet, & hic ipse postea quietioris vitæ amans, aut saltem id simulans, Rakoczium suffragijs & clientela

adjuvat, Gubernatoris nomine contentus, filioque ac genero omnem culpam condonans. In superiore Hungaria rustici contra Nobilitatem rebellant.

1632. Gustavus Sveciæ Rex, ad Luzenam in prælio occumbit. Sigismundo Poloniæ Regi mortuo, ætatis anno sexagesimo sexto, Regni quadragesimo quinto, succedit Vladislaus IV. Hoc eodem anno obit Moguntia Fridericus, ex Palatino Rex, ex Rege mendicus, anno ætatis trigesimo septimo. Cæsar Nicolaum Eszterhazy Palatinum, valido cum exercitu expedit ad recuperandam Transylvaniam, sed Rakoczius eam sibi jam prius subjugaverat. Eszterhazij adventu intellecto Rakoczius (Stephano Betlehemo pro Gubernatore relicto) eidem iturus obviam, prior ipse in Hungariam erumpit, ac nonnullas ejusdem copias atterit, insuper apud Turcam efficit, ut is, stante adhuc pace, aliquot millia suorum ad partes Ujvarienses depopulandas ac vastandas immitteret, vel sic Palatinum à Transylvania reducturus; quibus difficultatibus perpensis Cæsar, & simul ne novo implicaretur bello, ipse quoque electioni Rakoczij annuit, atque sic Palatinus in inferiorem Hungariam, Rakoczius verò in Transylvaniam redeunt cum suis exercitibus. Rebelles rustici in Hungaria superiore, quæ adhortationibus, quæ vi, quæ minis compescuntur, eorum Duce Petro Cæsar supplicio affecto, Cassoviæ.

1633. Transylvania rursus intestinis motibus turbatur. Stephanus Betlehemus siquidem, qui Principatum præ metu Rakoczio tradiderat, pœnitentiâ ductus, ad Turcarum auxilia confugit, eaque impetrat. Rakoczius mutabilem fidem Turcæ detestatus, Austriacis se submittit. Interim verò Sigismundus Kornicius, Rakoczij partes secutus, auxiliares copias Turcarum pro Betlehemo, profligat. David Zolyomius, in suspicionem veniens, à Rakoczio (quem in Principatu adipiscendo, contra socerum adjuvârât) carceri mancipatur, in quo etiam consenuit, & vitam ipsam finivit. Comes Georgius Homonnai nascitur 8. Junij.

1634. Turcæ excusant apud *Ferdinandum* Cæsarem expeditionem pro Betlehemo à se susceptam, salvis pacis legibus esse factam, Palatinus tamen gnarus Turcicarum fraudium, stipendio Hajdones Cæsari obstringit, à quibus etiam sæpius cum Turcis dimicatum est, & quidem plerumque cum horum detrimento. Interempto Walfsteinio, *Ferdinandus III.* jam Hungariæ Rex, totius exercitûs Cæsarei Dux constituitur, qui mox Ratisbonam expugnat, & ad Nordlingam, magnam de Svecis reportat victoriam.

1635. Pax demum inter Stephanum Betlehem, & Rakoczium confici-

ficitur, & ille hunc suum Principem esse agnoscit, eundemque Turcarum Imperator secundum in Principatu confirmat. Nicolaus Forgach Cassoviensis Generalis, vivere desijt.

1636. *Ferdinandus III.* in Regem Romanorum inauguratur. Petrus Pazmanus Cardinalis Tyrnaviensem Academiam fundat. Die 12. Maji moritur Paulus Rakoczius. Comes Joannes Homonnay, fit Cassoviensis Generalis.

1637. *Ferdinandus II.* anno ætatis sexagesimo primo, Imperij undevigesimo, Viennæ obit; fortitudinis pro fide Catholica, & pietatis, ac justitiæ, aliarumque virtutum omnibus Principibus speculum, ac exemplar. Quem secutus est Pofonij, 19. Martij, Cardinalis Pazmanus, vir summæ doctrinæ, pietatis, ac prudentiæ, magnusque fidei Catholicæ in Hungaria restaurator. Eodem anno moritur Michaël Thurzo.

1638. Cæsareani iteratis vicibus à Svecis profligantur. Brisacum ab iisdem obsidetur, & tandem fame expugnatur. Ludovicus XIV. Rex Galliarum nascitur. Polonia ob Cosacorum rebellionem turbatur. Casimirus postea Rex Poloniæ, Lusitaniæ Pro-Rex constituitur, sed dum eo incognitus per Galliam festinat, intercipitur, ac Lutetiam deductus, in honesta custodia detinetur. Hungaria pace almâ fruitur, sed simul ob siccitatem nimiam, sterilem hunc annum experitur S. Ladislai Sepulchrum Varadini, à Calvinistis violatur, & thesauri in eo inventi, à Rakoczio Principe auferuntur, quibus tamen additum erat anathema, contra eum, qui prius quid ex ijs fumeret, quàm extrema arcis necessitas postulet.

1639. Consequitur ob anni præteriti sterilitatem, ingens per totum ferè Regnum fames. Rakoczius Princeps ab A catholicis ad arma contra Cæsarem sumenda sollicitatur. Leopoldus Archi-Dux, totius exercitus Generalis à Fratre Cæsare constituitur.

1640. Nascitur Augustissimus Imperator Leopoldus 9. Junij. Mortuus est Constantinopoli 8. Februarij, anno ætatis trigesimo secundo, Imperij Decimo septimo, Amurates IV. Turcarum Imperator. Succedit eidem frater Ibrahimus I. Lusitani se ab Hispanis separant. Archi-Dux Leopoldus Reginogradecium recuperat, & Bohemiam magna ex parte à Svecis repurgat.

1641. Turcæ in Comitatum Nitriensem irrumpunt, aliquotque pagos ac oppida devastant & depopulantur, miserâ plebe in servitutem ductâ. Emericus Losy Archi-Episcopus Strigoniensis moritur.

1642. Sveci Cæsareanos ad Lipsiam profligant, atque Georgium Rakoczium Principem Transylvaniæ ad confederationem armorum varijs artibus

tibus instigant. Georgius Lippai fit Archi-Episcopus Strigoniensis. Rakoczy junior, in Principem Transylvaniæ, vivente adhuc Patre eligitur 4. Maji.

1643. Stephanus Nyary Generalis Cassoviensis moritur, inque ejus locum Comes Adamus Forgach substituitur. Solennes nuptiæ 3. Februarii, inter Georgium Rakoczium, & Sophiam Bathori, Albæ Juliæ celebrantur. Senior Georgius Rakoczy, arma contra Cæsarem parat, à quo proposito omnibus modis eum abducere Comes Nicolaus Esterhazy Palatinus, laborat, scriptis ad eum multis, & efficacissimis epistolis, quæ etiam nunc apud multos præ manibus habentur.

1644. Initio hujus anni, Franciscus Rakoczius nascitur. Senior Georgius Rakoczy Cæsari bellum indicit. Mox eidem subdit se Cassovia, Comite Adamo Forgachio tunc Generali, ab ipsis Cassoviensibus urbe excedere coactus. Adherent eidem aliæ quoque civitates, & Comitatus superioris Hungariæ, Comite Joanne Homonnai excepto, cujus propterea arces & bona rapinis ac devastationibus scædè deturpantur. Rakoczio opponitur Palatinus Esterhazius, & Generalis Puchaimius, suscepto cum exercitu per confinia itinere, Cassoviam usque penetrant, urbemque oppugnant, sed comitatibus ac majorum tormentorum defectu, re infectâ inde discedunt. Franciscus Wesselenius arcem Murân astu occupat, cujus etiam postea à Cæsare hæreditarius factus est Dominus. Pestis ingens per Hungariam grassatur.

1645. Svecorum exercitus, Duce Tarstenzonio ex Danica expeditione, in Imperium insperatè regreditur, & Moraviam usque penetrat, cæsoque nostro exercitu, quem Götzius ducebat, Iglaviam, reliquaque munitiona loca occupat. Olomucium metropolim Regionis, quod Comes Walfteinius jam diu obsederat, famâ adventûs sui liberat. Mox Brunam totius Moraviæ propugnaculum, quodque unicum in ijs partibus restabat, aggreditur. Georgius Rakoczius quoque interea juxta compactationem venit in Moraviam, Transylvanosque suos Svecis conjungit, ac unitis viribus in Brunam expugnationem incumbunt, sed utrique malè multantur, Generale Souches strenuè Urbem & arcem propugnante. Visâ igitur suorum frage magnâ Rakoczius, pacem cum Cæsare init, nec sine emolumento, aliquot arcibus & Comitatibus sibi ab eodem cessis. Sveci pariter desperatis rebus, post discessum Transylvanorum, obsidionem solvunt. Eodem anno moritur Nicolaus Esterhazius heros eximius, & inter Palatinos Regni Hungariæ, si quis alius, consilio, virtute, ac prudentiâ singularis, cui parem Hungaria vix habuit, an habitura sit, tempus dabit.

1646. Maria Imperatrix, mense Majo, ex venatione reversa, repentino catharro extingvitur. Hoc eodem anno Ferdinandus IV. in Regem Bohemiæ eligitur.

1647. Comitia Pofonium indicuntur, in quibus Joannes Draskoviczius vir eximie fidelitatis erga Cæsarem, magnæque prudentiæ, in Palatinum eligitur. In iisdem Comitijis *Ferdinandus IV.* in Regem Hungariæ coronatur. Magna pars temporis horum comitiorum in negotio Religionis consumitur. A catholicis minis inanibus nonaginta novem templa Catholicis extorquent. De Jesuitarum in Regno retentione, magna inter Orthodoxos, & Heterodoxos dissensio, Orthodoxi, & nominatim Croatæ, fortiter pro causa Religionis steterunt, parati extrema quæque prius subire, quàm iniquissimæ postulationi adversariorum assentiri. Franciscus Wesseleni Generalis superioris Hungariæ constituitur.

1648. *Ferdinandus III.* ad secundas nuptias transit, ductâ Mariâ Leopoldinâ, Tyrolensi Archi-Ducissâ. Pax Monasteriensis 24. Octobris concluditur. Vladislaus IV. Poloniæ Rex, morte repentinâ extingvitur, cui succedit Casimirus frater. Poloni à Cosacis profligantur. Georgius Rakoczius Princeps Transylvaniæ moritur. Obijt eodem anno Joannes Draskoviczius, Regni Hungariæ Palatinus, ob singulares virtutes, vitâ longiore dignissimus.

1649. Joannes Casimirus in Regem Poloniæ coronatur, mox ipse movet in Cosacos & Tartaros, & incredibilem eorum edic stragem. Veneti contra Turcas feliciter pugnant. Carolus Angliæ Rex, à suis subditis publico supplicio afficitur. Comitia Pofonium indicuntur, in iisque Comes Paulus Palffy, in Regni Palatinum eligitur. Maria Imperatrix Carolum Josephum enixa, ex partu moritur. Ibrahim Turcarum Imperatori, filius Mahometes succedit in Imperio.

1650. Maria Anna Archi-Ducissa, Cæsaris filia, Philippi III. Hispaniarum Regis sponsa, Madritum deducitur. Christina Gustavi Regis filia, in Reginam ejusdem Regni coronatur. Romæ Jubilæum magno Christianorum concursu celebratur. Eperiesini Judicia Octavalia tractantur. Agriense Capitulum Jaszoviâ, Cassoviam inducitur. Ibidem eodem anno Scholarum Societatis JESU datum est initium.

1651. Nuptiæ *Ferdinandi Cæsaris* cum Eleonora Mantuana, magnâ solennitate Neostadij celebrantur. Maximilianus Dux Bavariæ moritur. Kis-Comaromium irrito comatu à Turcis impetitur.

1652. Cosaci iterum rebellant in Polonos, Duce Chmielnicio. Comitia Ratisbonam à Cæsare indicuntur. Turcarum quatuor millia ad de-

populandas Hungariæ, Ujvarino vicinas partes excurrunt, quibus occurrit Generalis earundem partium Comes Adamus Forgach, atque cum ijs acriter configit, in quo conflictu strenuè pugnando occubuit Comes Ladislaus Esterhazi. Item Franciscus, Thomas, & Casparus Esterhazi, Barones.

1653. Cosaci, Moschis juncti, res Polonicas penè in ultimum exitium præcipitant. Veneti Turcas superant. *Ferdinandus IV.* jam Hungariæ & Bohemiæ Rex, in Regem Romanorum eligitur, in ipsdem Comitij Eleonora Mantuana Augusta coronatur. Rakoczius, Basilium Moldaviæ Vajvodam, armis invadit, eumque Provinciâ exturbat, ac in locum ejusdem Stephanum quendam Cancellarium substituit.

1654. Christina Regina Sveciæ, abdicato Regno, fidem Catholicam amplectitur. *Ferdinandus IV.* Romanorum Rex, Viennæ, anno ætatis 20. moritur. Obijt eodem anno Comes Paulus Palffy, Regni Hungariæ Palatinus. Constantinus Princeps Walachiz, à suis deponitur, & in viacula conjicitur, sed is feliciter elapsus è custodiâ, prius ad Stephanum Moldaviæ Vajvodam, ac dein ad Rakoczium incolumis evadit, ac per eundem anno insequenti, pristinz dignitati, armatâ vi restituitur.

1655. Mahometes IV. Turcici Imperij, (quod hæctenus per Vezerios à morte Ibraimi gubernabatur) habenas cepessit. Innocentius X. Pontifex Maximus, moritur, succedit eidem Alexander VIII. Carolus Rex Sveciæ, Poloniam invadit. *Leopoldus I.* in Regem Hungariæ, Posonij, 27. Junij coronatur. In ipsdem Comitij Franciscus Wefeleni, in Regni Palatinum eligitur, & Comes Franciscus Nadasdi, fit Judex Curiz Regiæ, ac Comes Ladislaus Csaki (ut fama ferebat) veneno tollitur. Franciscus Rakoczi à Statibus Transylvaniæ, in Principem Patre vivente eligitur. Georgius Lippai, Archi-Episcopus Strigoniensis, munitionis Præsidij Ujvariensis, magno animo ac liberalitate sibi innatâ, coram Regni Statibus, in se suscipit curam. Larga ubique per Hungariam vindemia, ita ut vasorum inopiam, largitas vini longè superaret.

1656. Pax inter Polonos ac Svecos frustra tentatur. Hos tamen Csarneczius ad Jaroslaviam, quartâ Martij ipso festo Sancti Casimiri, Regni Patroni, insigni clade afficit. Croatæ præclaram de Turcis reportant victoriam. Benedictus Kisdi, Episcopus Agriensis, Cassoviensem Academiam fundat. Georgius Rakoczius, à Polonis tot hostibus circumventis, in auxilium venire rogatur, cum assècuratione successionis in Regno Poloniæ filij ipsius Francisci, si is in fide Catholica educari permetteretur; sed à suis Prædicantibus dementatus, (prout sæpius facta est Celsissima Principissa Sophia Bathori) postulatis eorum sub annexa conditione, acquiescere

recu-

recusat absolutè, hostilitèrque potiùs Poloniam intrare, sibi que Coronam & Sceptum Regni statuit usurpare. (Divinâ tamen providentiâ postea factum est, ut idem Franciscus Catholicam fidem, non tantùm non adepto Regno Poloniæ, sed etiam Principatu Transylvaniae amisso, amplecteretur, quam cum Regno & Principatu conjunxisset, si parens ejus sanctiora consilia secutus fuisset.) Non potuit latere hæc res utrumque Imperatorem, missæ igitur sunt eidem extemplo à Porta Othomanica prohibitoria literæ, ne ullo modo Polonos tunc Turcarum amicos præsumat infestare; sed hæc ab eodem contemptæ, iterata ab eadem Porta atrocibus superadditis minis, denovo mandata venêre, sed cum fastu rejecta sunt, nec Sacratissima Romanorum Majestas semet interponere dedignata fuit, misso ad eundem Illustrissimo ac Reverendissimo Georgio Szelepcseni, tunc Regni Hungariæ Cancellario, viro summo, & in varijs ablegationibus etiam ad Portam Othomanicam iterato susceptis, expertissimo, qui sapientissimis suis consilijs, & ponderosissimis rationibus, additis similiter nomine Cæsaris diversis minis, cum à proposito hoc dimovere modis omnibus adlaborabat, sed surdo fabulam cecinit, obstinato enim animo ad imminentem sibi ruinam ultrò festinabat, imò se ipsum præcipitabat.

1657. *Ferdinandus III.* Imperator, Viennæ obit 2. Aprilis. Princeps Rakoczius urgentibus fatis Poloniam intrat cum magno exercitu, sed majore cum fastu, adjunctis Cosacis, & Svecis, longè latèrque per eam grassatur, sed brevi confœderatis ejus tanquam cautiorebus, ad tutiora regressus, solus cum suis relictus, toto fermè exercitu fame confecto, à Polonis circumventus, juxta præscriptas ab iisdem conditiones, pacem cum iisdem ignominiosam facere cogitur: ac dein ingentis multitudinis Tartarorum adventu perterritus, in Podolia relictis exercitu, cum trecentorum circiter comitiva, continuato per complures dies itinere Maramorosinum, tandemque Esfedinum (ubi conjunx, filiusque ejus erant) inglorius redit. Exercitus verò cum Joanne Keminio relictus, ab innumera multitudine Tartarorum circumdatus, totus quantus, & qui adhuc viginti propè millia numerabat milicum, inaudito sanè exemplo, in captivitatem non tam abducitur, quàm abigitur. *Leopoldus I.* Hungariæ Rex, selectum exercitum contra Svecos mittit in Poloniam, & alterum contra Rakoczius deputat in Transylvaniam. Poloni interea ad Munkaczinum insperatè in Hungariam irrupunt, & bona Rakocziiana hostiliter invadunt, ac Patakinum usque depopulantur. *Leopoldus I.* Hungariæ, & Bohemiæ Rex, in Imperatorem Romanorum, Augustæ, coronatur.

1658. Mahometes Turcarum Imperator, offensus Rakoczius, quòd

neglectis suis jussis Poloniam invaserit, Transylvaniæ Principatum eidem adimit: substituitur proinde à Regnicolis in ejusdem locum Franciscus Rædei, vir pacificus, ac mitis, sed hic mox à Rakoczio opprimitur. Rakoczius resumpto Principatu, armis se contra Portam Othomanicam vindicare statuit, & Purpuratum Budensem adversus se venientem, feliciter profligat. Advenit deinde cum centum millibus armatorum supremus Vezirius, & primò arcem Jend expugnat, ac mox etiam Karansebes, & Lugas occupat. Interea Chamus quoque Tartarorum Transylvaniam intrat, eamque sceddè depopulatur & vastat, quâ excursionem supra centum millia Christianorum, utriusque sexûs, vel crudeli neci sunt data, vel in miseram servitutem abducta. Transylvani itaque ad tantas angustias redacti, misericordiam supremi Vezirij implorant, quam tamen non aliter, quàm ingenti depositâ summâ, tributôque annuo aucto, & recepto Acacio Barczaio à se in novum Principem constituto, impetrant.

1659. Barczaius in Principem Transylvaniæ inauguratur. Rakoczius rursus Transylvaniam intrat, ad recuperandum Principatum, Barczaiumque persequitur, atque hic proprijs viribus diffusus, Temesvarinum auxilia Turcarum imploraturus se recipit: quibus impetratis Szeidi Achmet, Purpurato Budensî sibi adjuncto, (cui ex mandato Portæ Othomanicæ Barczai restitutio in Principatum incumberebat) in Provinciam redit, utrique verò animosè occurrit Rakoczius, pugnamque cum ijs inicit, sed infaustam, profligatur eam ab iisdem, at neque sic animo pro recuperanda dignitate pristina dejicitur: retrocedente enim Purpurato Budensî, Barczaium Cibinij civitate Saxonicali obsidione sat longâ fatigat. Benedictus Kisdi Episcopus Agrimensis moritur. Comes Georgius Homonnai superioris Hungariæ Generalis constituitur.

1660. Barczaius à Rakoczio pressus, rursus Szeidei Achmet Purpuratum Budensem vocat in subsidium, cui supervenienti, resoluti animo occurrit Rakoczius inter civitatem Claudiopolim, arcemque Gyula, fortissimèque contra eundem pugnat, sed postquam aliquot hostium suâ manu interemisset, quatuor lethalibus plagis vulneratus, subductus à Duce Prætorianorum, Varadinum perducitur, ibique paucos post dies extinguitur, cadaverque ejus Ecsedinum, ac inde postea Patakinum transfertur. Princeps igitur Barczaius, Cibino egressus, Purpurato Budensî adjungitur, ac cum eodem Hungariam versus tendit. Pervenerat interim Temesvarinum cum universis Europæis Asiaticisque copijs, Purpuratus Alybassa, atque assumpto secum Budensî Vezirio, simul cum Barczaio Principe Varadinum progreditur, illudque 14. Julij, arctâ obsidione cingit, & 27. Augusti, dedi-

uons

tione capit. Nihil aliud deerat ad hujus præsidij conservationem, quam numerus propugnatorum, quem quidem Generalis Souches, & Franciscus Wefelenius Regni Palatinus, qui tunc ad Rakomaz cum armada Cæsarea castra metati fuerant, liberaliter Germanico milite augere volebant; sed hunc incolæ, & arcenses Calvinistæ pertinaciter rejecêre, nonnulli ex ijs auditi dicere: se malle Varadini audire Turcarum *Halla*, quàm Catholicorum *Alleluja*.

1661. Expugnato Varadino, Alybassa regreditur, Principémque Barczaium adjuncto eidem pro assistentia Kapussi Bassa, in Transylvaniam remittit. Interea Joannes Kemini Transylvaniam invadit, clam à nonnullis Regnicolis ad Principatum invitatus, quam etiam brevi occupat, & Barczaium Principem, Principatu, mox vitâ quoque exuit, atque pro firmandis suis rebus, Augustissimi Romanorum Imperatoris auxilia implorat. atque etiam impetrat, Princeps Georgius Rakoczius, magna cum solenitate Patakini sepelitur 24. Aprilis, ac dein relicta ejus vidua Sophia Bathori, unâ cum filio Francisco Rakoczi fidem Catholicam publicè profitetur. Comes Nicolaus Zrinaius è regione Canisæ novum munimentum Neo-zrinium nuncupatum molitur & ædificat. Purpuratus Alybassa Transylvaniam hostiliter intrat & vastat, Keminiúmque Regno exturbat. Eodem anno arx Sancti Job à Turcis occupatur.

1662. Joannes Keminius Romanorum Imperatoris suffultus auxilijs, Transylvaniam recuperare nititur. Excellentissimus Generalis Montecuculi, qui in auxilium Keminiio venerat Claudiopoli, Szamosujvarini, Betlen, Kôvár, & Székelyhidæ, impositis præsidijs, ex Transylvania certis ex causis regreditur. Alybassa Michaëlem Apasium nihil tale opinantem, pro hac tamen dignitate aptissimum, Principem Transylvaniæ constituit, ipsèque Temesvarinum ad hyberna secedit. Keminius, Apasium Sasburgi obsidet, sed eidem Kucsuk Memhet Bassa succurrit, cum quo tamen Keminyus magnanimiter pugnam init, ast lapsu equi, vel suorum proditione miserè perit. Princeps Apasius abhinc usque ad præsens tempus pacificè satis Provinciam, tot prius mutationibus exagitata, gubernat. Sub idem tempus Reverendissimus Dominus Franciscus Szentgyörgyi Episcopus Vaciensis, in ablegatione à Cæsare ad Principem Apasium missus fuerat, de pace quasi tractaturus, sed per Kucsuk Bassam arestat, ac Temesvarinum mittitur, & ibidem fato fungitur. Hoc eodem anno, à Cæsare præcisè pro conservatione Patriæ, contra imminens bellum Turcicum Comitia Posonium indicuntur. In iisdem Comes Franciscus Wefeleni Palatinus Regni, aureo vellere insignitur. In ipso festo Ascensionis, inusitatum frigus per totam Hungariam vites omnes concoxit. Hoc eodem anno accidit inau-

dita illa, ex Carpaticis montibus orta per totum tractum Vagi, & Hernadi inundatio.

1663. Aggrediuntur in speratè, utpote ad ultimum ferè spe pacis Aulam nostram lactantes Turcæ magnis copijs Hungariam, atque levè cum nostris ad Parkan commissâ pugna, cœsâque parte exercitûs Hungarici, temerè cum iisdem prælium ineunte, Ujvarinum, aliâque aliquot fortalitia expugnant: eodem anno Tartari Hungariam & Moraviam depopulantur. Comes Nicolaus Zrinius, Generâlis totius militiæ Hungariæ & Croaticæ à Cæsare constituitur.

1664. Vicibus iteratis Cæsar per Generalem Souches in Hungaria reportat victoriam, & Levam ac Nitriam recuperat. Nostri obsidionem Canisæ solvere à Turcis compelluntur, à quibus etiam non multò post Neozrinium expugnatur. Post insignem victoriam de Turcis ad Sanctum Gothardum reportatam à nostris, Pax inter Cæsarem, & Turcarum Imperatorem concluditur. Eodem anno Comes Nicolaus Zrinius Croatiæ Banus, cum Illustrissimo Comite Paulo Esterhazy, alijsque Magnatibus, pontes Eszekiensis exurit, aliquotque arces Turcarum expilat, ac destruit, cunctaque quinque Ecclesias usque devastat, ac indemnem exercitum reducit.

1665. Pax inter duos Cæsares solenni Legatione ad annos viginti stabilitur. Leopoldopolis ad Vagum ædificari cœpta. Székelyhida ex compactatione pacis funditus diruitur. Comes Nicolaus Zrinius, in venatione ab apro interficitur. Cometa ingens sub finem anni elapsi ortus, primis mensibus hujus anni, populo terrorem incutere pergit.

1666. Georgius Lippai Archi-Episcopus Strigonienfis, vir eximiæ prudentiæ, ac doctrinæ, raræque virtutis, ac merito inter Heroes Hungariæ numerandus, moritur 3. Januarij: succedit eidem Georgius Szelepcheni, post officium Cancellarij Regni viginti duobus annis, cum magna satisfactione gestum, postque plurima fidelitatis Cæsari, ac Regno præstita obsequia. Civitas Tyrnaviensis in festo Sancti Joannis Baptistæ, tota ferè exurit. Quatuor mensium hujus anni siccitas, magnam sterilitatem importat. Celebrantur nuptiæ solennes Cæsarem inter & Margaritam Hispanam, eâ pompâ, quâ majorem vix unquam Vienna viderat.

1667. Sub titulo extraordinariorum Judiciorum, Conventus Regni Neozolium indicitur, in quo ultimatè cusa fuit faba omnium subsequentiæ tumultuum ac rebellionum. Eodem tempore, ibidem moritur Franciscus Wefeleni Regni Hungariæ Palatinus, & ipse per suam conjugem tractus in seditiosorum partes. Qui tamen postmodum in articulo mortis pœnitentiâ ductus, memorque beneficiorum quæ ab Augustissima Domo

Austria-

Austriaca cumulatè acceperat, à qua imprimis in Comitatum Ordinem e-
 vectus, bonis, arcibus, variisque clientelis auctus, post ad Generalatum Caf-
 soviensem & superioris Hungariæ, ac demum ad Palatinalem dignitatem, &
 Equitem Aurei Velleris promotus fuerat, telam universæ factionis Cæsari re-
 texere cupiebat, sed ab uxore, (quæ illum pro arbitrio suo versabat) impe-
 ditus est. Hinc meritò illa ipsa, deinde post mariti obitum, & detectionem
 conspirationis, honesto arresto detenta fuit, in quo etiam diem extremum clau-
 sit. Obijt quoque ibidem, & eodem tempore Joannes Szakmarius, vir offi-
 cio Personalis Præsentia, & probitate clarus.

1668. Conspiraciones præmentionatæ, contra Cæsarem clam promo-
 ventur, partim per literas; partim per conventicula privata; partim per A-
 catholicos præcones, qui in suis concionibus, Nobilium, & Civium animos
 ad defectionem sollicitabant; partim per legationes varias, & ad ipsum quo-
 que Turcarum Imperatorem, & supremum Vezirium internuncijs, usque
 ad ipsa castra, quibus Candiam tunc oppugnabat, missis. Sed ex Magnati-
 bus quoque non pauci, & ex Comitatibus, & Civitatibus complures ad eam-
 dem attrahuntur, subscribentes antea conceptis literis, per quas Turcarum
 patrocinium & protectio petebatur, & Regnum ipsdè clientali jure, at tri-
 butario nomine deferebatur.

1669. Seditiosi in Hungaria, jam de corpore conjurationis certi, de
 capite ejusdem curam suscipiunt, & cum ex Sectarijs nemo ad id satis ido-
 neus illis videretur, Stephanus enim Bocskai primæ cæteroquin apud il-
 los venerationis Baro, præter nomenclaturam famosi quondam Rebellium
 Ducis, ac Transylvaniæ Principis, pariter Stephani Bocskai, nihil in rem
 præsentem sufficiens promittebat, ac tanto molimini planè impar videbatur:
 Occurrebat è propinquo, & sæpius ejusmodi tumultuum natali solo Michaël
 Apafius Transylvaniæ Princeps, verùm is quietis amantior, & Antecesso-
 ris sui Georgij Rakoczy malo doctus, maluit se in haud ita pridem parte
 Principatu stabilire, quàm aliena quærendo, hunc etiam in certum discrimen
 conjicere. Stephanus autem Tökölus, Emerici Tökölj (tunc adhuc
 pueri) parens, animo, quàm viribus promptior, morbis jam fractus, nihil
 spei ad recuperandam valetudinem, necdum ad ducendas copias præfere-
 bat: alius verò ex Magnatibus A catholicis, ad rem agendam idoneus in
 Hungaria nemo supererat. Statuunt igitur ipsos tentare Catholicos, atque
 unum aliquem ex his in rei gerendæ Ducem assumere, Religionis nullà
 penitus factà mentione, specioso prætento colore, qui non solis Heterodo-
 xis arrideret: avitæ scilicet libertatis gentis Hungaricæ. Circumveniunt
 proinde Comitem Petrum Zrinium, Croatiae Banum, & filione, quæ is fi-
 liam

liam Principi Rakoczio in matrimonium elocaverat, & ad Principem generum invisendi gratiâ, in superiorem Hungariam semel atque iterum venerat, virum cæteroquin manu, quàm consilio promptiorem; & quidem hunc non à fronte, sed quasi ex latere, hoc est per uxorem aggrediuntur, promittentes ambitiosæ sceminæ, posse illam (uti & filiam jam Principissam) Regiâ potiri dignitate, dummodò id marito persuaderet, ut conceptæ conspirationis Ducem agere vellet, cœtera cuncta expedita fore: neque segnem ad sua vota habuere sceminam, quæ non solum maritum, sed post & fratrem suum germanum, Comitem Frangepanum, ad suas traxit partes, & intentionem. Restabat tamen adhuc ipse Franciscus Rakoczius, quem suis partibus non accessurum omninò perspiciebant, quamdiu eundem à Principissæ matris Sophiæ Bathori, incomparabilis sui temporis Heroidis latere non avellerent. Persuadent igitur juveni Principi, sub specioso prætextu majoris libertatis & decentiæ, si jam uxoratus, & sui juris factus, non amplius sub disciplina matris, & alieno arbitrio viveret, verùm debitam sibi bonorum & Toparchiarum administrationem usurparet, ac plura ejusmodi proponentes, quæ genium ætatis adhuc improvidæ, blandiùs titillare possent. Quæ machina ubi successisset, mox id quod intendebant, potentiùs urgent, & per socerum, ac socrum speciosis pollicitationibus, imaginarijs designationibus, vanissimisque spebus, juvenis Principis animum complent, oppugnant, expugnant, ac denique persuadent, ut Cæsaris fidelitati renunciet, séque in Hungariæ, aut potiùs factionis caput, eligi patiatur. Socero Petro Zrinio, cum Comite Frangepano, in Croatia, & Hungariæ inferioribus partibus, rem curaturo, cui etiam cæ partes Regni, sic bipartito quasi dominationis Imperio, erant ab iisdem deputatæ. Fiunt igitur stativa, occulti delectus militum, disponunturque ad generalem insurrectionem Comitatus, jubentur prompti esse quovis tempore, ad capeienda arma exterii incolæ, ac protinus adesse, cum res posceret, in loco & tempore à Principe designando. Mittuntur subinde à Comite Petro Zrinio novi in Turciam Legati, auxilia promissa expectantes: sic autem inter eos conventum fuerat, ut uno tempore, simul Zrinus in Croatia, & Rakoczius in superiori Hungaria ad arma conclamarent.

1670. Igitur appropinquante jam præfixo rebus agendis termino, ut quæ consilia in arcano hæctenus agitassent, palàm fierent; ante omnia decernunt Tokainum, vicinam illic munitionem Cæsareo firmatam præsidio, astutiâ intercipere. Loco illi tum præerat Excellentissimus heros, ac Dominus Ernestus Rudigerius Starhenberg, (postea Viennæ propugnator gloriosus, & Sacræ Cæsareæ Majestatis campi Marschallus, æternâ memoriâ dignissim.

dignissimus) hunc itaque (cui nihil dum de conjuratorum intentionibus innotuerat) de suorum consilio, Princeps Rakoczius Patakinum titulo amicitiae, & bonæ vicinitatis, cum cæteris Officialibus Cæsaris ad se invitat; adest ille, nihil doli suspicatus, & mox à valida Conjuratorum manu circumvenitur, exarmatur, incaptivatur, atque in arcem Principis Regécz dictam, ad custodiam deducitur, ipso uti ad fraudes perduellium, sic ad majorem eorum vim repellendam haud provisio. Itur inde mox ad intercipiendum Tokainum, quod jam propugnatore suo destitutum, credebant facilius in suam potestatem se posse redigere; validâ ergo manu locum aggrediuntur; sed opportunè acciderat, quoddam subtribunus, sive Vice-Præfectus arcis (alioquin & ipse cum cæteris invitatus à Principe) tum ex lege militari in præsidio relictus fuerit: hic licet inopinato sui Præfecti casu haud parùm conturbatus, nec ad repentinam obsidionem aut repellendam, aut sustinendam satis provisus, (cùm non appareret, unde hostis timeri posset) animis tamen haud cecidit; sed ad vim quâ posset virtute propulsandam extemplò se alacriter accingit, arcem denique cum suis generosè ac fortiter propugnat, adeo ut post aliquot dierum conatus irritos, aggressores obsidionem tentatam solvere, & ad sua gressus relegere coëgerit. Intersa verò temporis augetur seditiosorum numerus, plures ac plures undique ad Rakocziium confluunt, centuriantur cohortes, augentur signa, locus & tempus pro generali armilustro designatur, & mox etiam coëuntium signis completur, & aperta denique Rebellio in lucem prodit. Cùm ecce mirâ DEI providentiâ, quæ iustorum causam non deserit, hæc invertit omnia repenti, itaque disposuit, ut cùm status & Ordines Regni Croatiae suis Regibus semper fideles, se se malefanis Petri Zrinij conatibus (contra quam fortè is credebatur) opponerent, ac miles etiam Cæsareus adestet, factum demum esset, ut ipse Petrus Zrinius unâ cum affine suo Marchione Frangepano, consiliorum ejusdem complice, in potestatem Cæsaris deveniret, ac Viennam primùm, inde Neostadium ad custodiam adduceretur. Cujus rei nuncio licet primùm non crederetur, brevi tamen comperto verissimum esse; Princeps Rakoczius confestim animo concidit, & pœnitentiâ factorum ductus, exemplòque soceri monitus, absque cunctatione militem dimittit, arma deponit, ad matrem nuper malè desertam confugit; ejusque velut insignis prudentiæ foeminae, consilium, patrocinium, & intercessionem implorat, ac eâ demum intercedente, gratiam à Cæsare impetrat, mansitque postea usque ad obitum in fide Cæsaris, uti constans, ita & securus. Protinùs autem Cæsarea Majestas validas lecti militis copias, Duce Generali Sporkio, in superiorem Hungariam destinat, locisque munitioribus militum suorum præ-

fidia imponit, complicibus & authoribus Rebellium passim diffugientibus, qui partim in Transylvaniam, partim in Turciam cum uxoribus & liberis, inopes consilij se se recepere.

1671. Posonij commissio Cæsaris jussu instituitur, ad inquirendum in præfatæ seditionis complices, plures Nobilium dantur in custodiam, sumpto de quibusdam etiam enormius reis, extremo supplicio. *Cassoviensis Citadella* erigitur.

1672. Varia templa, quæ iniquitate temporum ab hæreticis profanata, nullo jure, nullaque lege, sed dolo, vi, ac fraude occupata, ac hætenus injustè retenta fuerant, iterum usibus Catholicorum, à quorum antecessoribus, & in quorum solùm usum ædificata erant, restituntur. Novitumultus rursus ab A catholicis in superiori Hungaria excitantur, qui tamen mox per Excellentissimum Generalem Kopff, & Excellentissimum Generalem Comitem Paulum Esterhazi, dein Regni Hungariæ Palatinum, reprimuntur.

1673. Sopita jam, aut saltem aliquantum repressa esse videbatur Rebellio, nihilominus, qui ex Rebellibus supererant in Hungaria, non cessabant à latrocinij, & deprædationibus exercendis, illi verò qui se in Transylvaniam receperant, in eudenda continuatione Rebellionis, ac modis quibuscumque ad illius promotionem exquirendis, consilia inter se assidue conferebant, oblatamque sibi gratiam à Sua Majestate respuentes, in malè semel coeptis, obstinatissimi manebant. Augustissima Margarita Imperatrix moritur. Eperiesino, Cibinio, & Bartphà, munitiones & tormenta, jussu Cæsaris avehuntur.

1674. A catholici Rebelles in superiori Hungaria, palàm Turcis adhærent, atque his nihilo meliores, varias hostilitates in Christianos, præsertim verò Catholicos, ac eorum Sacerdotes exercent, eosdem contumeliji & verberibus afficiendo, captivando, lytro velut mancipia Barbarorum taxando, nec paucos eorum crudelissimâ morte, in odium fidei occidendo. Prædicantes tanquam incentores & authores Rebellionis, judicialiter Posonij convicti, ex Regno Hungariæ proscribuntur. Non igitur ob Religionem, uti ipsi falsè criminati sunt, totique Imperio querulosè imposuerunt; sed ob læsæ Majestatis crimen commissum, dum plebem ad seditionem, & arma contra legitimum Regem commoverent, & pleraque in finem adornatæ conjurationis exequerentur ipsi; de quo crimine per allegata & probata, ab ipsa Tabula Regia, (cujus decisiones maximam in Hungaria obtinent auctoritatem) assidentibus etiam quibusdam A catholicis Judicibus, palàm fuere convicti. Unde cum eodem tempore Syccicus Ablegatus, no-

mine

mine sui Regis, supplicasset Sux Majestati, ne persequeretur Prædicantes, tanquam ministros Lutheranorum, responsum est eidem: Id omninò non fieri ex ea causa, sed propter perfidiam & Rebellionem motam, quo responso habito, & visâ clarè ejusdem rei veritate, ipsemet postea acquievit. Caslovia majori ex parte incendio consumitur.

1675. Adhuc tumultuari pergunt Rebelles in superiori Hungaria, qui à sua Cæsarea Regiâque Majestate, ad saniora capienda consilia, frustra per Commissarios invitati, loca serè omnia circa Tibiscum latrocinijs infesta reddunt. Et juncti quandòque etiam Turcicis copijs, incursiones faciunt. Interea tamen res Catholicæ Religionis, magis magisque per Hungariam stabilita, Parochis magno numero in locum Prædicantium substitutis, notabilia sumit incrementa. Hoc eodem anno iidem Rebelles ex oppido Turcicis Tributario Döbrözen, in quo sub tutela Turcarum vires suas recolligere, & securè consueverant latere, collectis per Excellentissimum Generalem Comitem à Strasoldo Cæsareis copijs opportunè ejeti sunt, rebûsque malè partis, quas eodem coacervaverant, exspoliati, ac sæpiùs etiam aliàs pro meritis obstinatæ perfidiæ castigati. Vini exiguus ubique hoc anno proventus.

1676. A catholicis Rebelles in Hungaria, Turcarum auxilia, contra legitimum suum Regem, & Christianitatem sollicitare non cessant. Copias interim ex fœce hominum, & desperatæ conditionis constant, atque ad aliquot millium numerum circa Tibiscum instaurant. Comitatusque superioris Hungariæ, usque ad Liptoviensem, plurimis & crudelibus latrocinijs, rapinisque infestant. DEO, hominibus & maxime genuinis Patriæ filijs, inuisi & exosi, ob crudelem, & barbaram prorsus immanitatem. Obiit Claudia Felicitas Imperatrix Viennæ.

1677. Rebelles continuant consuetas suas deprædationes per Hungariam, quin & Eperiesium spe prædæ obudent, sed mox ad famam adventûs exercitûs Cæsarei, ductore Excellentissimo Generale Leslio, disperguntur. Qui tamen Tibiscum transeuntes, rursus ad Montanas usque Civitates excurrunt; & eodem anno, in caput suæ factionis Emericum Tôkôlium (abdicato Nicolao Vesselyi, qui titulo & nomine tenus iisdem hætenus videbatur præesse) constituunt. Interim ex hac vita decedit Franciscus Rakoczius Munkacsini.

1678. Pestis in Hungaria grassatur. Rebellio adhuc continuatur. Tyrnaviam Extraordinaria Judicia indicuntur. Serenissimus Rex *Josephus* nascitur.

1679. Durat adhuc passim & hoc anno per Hungariam Pestis, sed

neque conquiescit Regnum ab intestinis, ac domesticis tumultibus; malè contententi siquidem aucti nonnullis Gallicis & Polonicis reſtititijs copijs Eperſinum obſident licèt in caſſum, illius tamen ſuburbia exurunt, & Cibinium, aliæque minora caſtella expilant, ac deprædantur. Civitates quoque Montanas invadunt, ingentemque ex ijs prædam aſportant; & cum ab appropinquante Cæſareo exercitu ſe premi viderent, rurfus pro amiſſitio apud Cæſarem ſupplicant, illudque etiam obtinent.

1680. Rumpitur iteratò amiſſitium Cæſareum cum malè contentis, & fiunt utrinque magnæ Regni devaſtationes ac deprædationes. Ex improvifo itaque illi, aliquot companias Caraffæ ad Vagum invadunt, & cædunt. Mox etiam in tranſitu ſuburbia Leutſchoviencia incendunt.

1681. Sopronij Comitia Regni celebrantur, in iſtque Excellentiffimus Comes Paulus Eſterhazi, in Palatinum Regni eligitur, & Auguſtiſſima Imperatrix Eleonora Magdalena Thereſia, in Reginam Hungariæ coronatur. Ad eadem Comitia invitantur à Palatino Regni, etiam Malècontenti, ſed hi diſſiſi ſuæ cauſæ, ad illa venire recuſant, minas etiam addendo, ſi quid in ijs concluſum fuerit, quod eorum prætenſionibus non arriferit. Interim Caſſovia à Tranſylvanis occupatur, & Szakmarinum levi & inutili obſidione tentatur.

1682. Caſſoviencia Citadella per proditionem, à Tòkòlio occupatur, mox & ipſa Civitas, auxilio Budenſis Vezirij, ad deditiorem cogitur, quâ occasione multa millia Chriſtianorum, in Turciam ad diram ſervitutem abducuntur. Viciffim verò malècontenti, egregij (ſcilicet) Patriæ filij, Turcam ad Fülekinum expugnandum ſtrenuè adjuvant, & deditiorem extortâ, hoſtium arbitrio tradunt, abducto ejuſdem ſtrenuo Propugnatore Stephano Kohári, in duram captivitatem. Exundationes aquarum ac præfertim Danubij maxima detrimenta, ejuſdem accolis, inferunt.

1683. Caſſoviam à Tòkòlio tumultuarius Conventus indicitur, & paucorum factione Hungariæ Regnum ſub tributo Turcis compromittitur, totaque ferè ejuſdem ſuperior pars, à fidelitate Cæſaris deficit. Atque hoc demum anno Rebellio Hungarorum malècontentorum in Turcicum erumpit bellum. Hi enim jam pridem modis varijs, iteratiſque vicibus, ac multis importunis ſollicitationibus Turcicam ad verſus Cæſarem conabantur concitare potentiam, Turca tamen ſeu iſdem diſſidendo, ſive quòd necdum effluxiſſet pacis ad annos viginti ad Sanctum Gothardum concluſæ tempus, auxilia dare differebat, eſto jam priùs per literas protectionales *Atname* dictas, certis conditionibus illos, in ſuam clientelam recepiffet, ijs tamen importunè rem urgentibus, tandem necdum expleto pacis tempore (licet jam

unicus

unicus duntaxat ad illud explendum restaret annus) eandem abruptit, sed & ipsi malè contenti armistitio suo, quod cum Cæsare habebant, ultroneè abrenunciant. Jámque priùs crebris significabatur literis ingentem undique in Turcia fieri bellicum apparatus, minùs tamen certum fuit Pannoniæ partibus inferendum, ex eo, quòd viginti annorum induciæ, nonnisi anno sequenti expirarent. Cæsar nihilominus sapientissimè de futuris prospiciens, quâ ratione Christiani Nominis hostis ab Hungariæ finibus repelli queat, omni curâ operâque providet: Quapropter fœdera cum externis Principibus inire, missis ad hunc finem ad Venetos, Moschos, Pontificem, Ducem Baviariæ, & Poloniæ Regem, ablegatis, constituit: dein exercitum ad novam expeditionem reparat, & restaurat, eidémque aptos, habilésque, ac longo usu bellj exercitatos Duces præficit, ac supremam ejusdem gubernationem, Carolo Lotharingiæ Duci, affinitate sibi juncto committit. Interea tamen Comitem Caprarum anno superiore Belgradum, indèque Bizantium ablegaverat, ut quòd hic fervens & ingens armorum apparatus tenderet, à Purpuratis, & supremo Vezirio intelligeret, verùm supremus Vezirius Cara Mustapha aneipiti dato responso, Legatum apud se detinet, eundem in castris suis Viennam usque, quam obsidendam decreverat deducturus. Ex his, & alijs manifestis signis Cæsar sibi belli inferendí minimè jam dubius, exercitum maturè in campum educit, ejusdémque armilustrium haud procul Pofonio, in amplissimis campis Kiteziensibus instituit, cui ipsemet cum Augusta, & Electore Bavaro, alijsque Principibus, Summus Lustrator interest, ac postmodum Viennam redit: Carolus verò Lotharingus campi Marschallus, cum tota ea militia, in Hungariam proficiscitur, & cum ad ò tempestivè exercitus campo successisset, ne miles pugnæ avidus otio torpesceret, Ujvarinum (extremum Turcarum versùs Provincias hæreditarias fortalitium) obsidione cingit, verùm cum undique certis adferretur nuncijs Mustapham supremum Vezirium cum incondita hominum multitudine Budam accelerare iter, & mox in propinquo adfore, in Austriamque tendere, eandem sapienti consilio (ut hostium obniti conatibus, & Viennæ ipsi succurrere posset) repente solvit, exercitumque Comaromium reducit, atque illud, uti & Jaurinum ac Leopoldopolim, firmo præsidio, alijsque ad defensionem necessarijs, munit, ipsèque in Austriam cum solo equitatu transit, ac continuatis itineribus, ad Altenburgum Teutonicum confidet. Accidit autem, ut dum inde exercitum Viennam versùs promoveret, impedimentis majoris securitatis ergò, longo syrmate præcedere jussis; turma Tartarorum, mixta Turcis Hungarisque nonnullis, qui Laitam amnem transhatârunt, è sylvula Proncellam inter, & Elend pagos irrueret in Legiones aliquot,

quæ præmissa impedimenta comitabantur, easque dissiparet, hæc verò diriperet: ingentes hic casus concitavit in exercitu nostro turbas & motus; verùm Dux Carolus, alias jubet ocyus prioribus succedere Legionibus, quæ dum cursum accelerant, Ludovicus Sabaudia: Princeps, hostium impetu, laxatos ordines, quantâ potest virtute recolligens, suos rursus in hostem educit, strenuèque pugnans, cum equo succubus, non sine vulnere, eoque lethali corrui (ex quo etiam paucos post dies Viennæ obiit) pari fato Dux quoque Areschotti, dum animosius hostem lacessit, pluribus vulneribus confossus, occumbit. Interea Ludovicus Badensis, dissipatas jam aliquot legionum turmas sistit, suisque ordinibus postliminio restituit, ac integras legiones hostibus opponit, quarum vim illi sustinere non valentes, prædam haud contemnendam, hæc tumultuariâ, & vix horariâ irruptione obtentam, celeri cursu præcipites secum abducunt.

Cæsar his nuncijs acceptis, cum jam clarè pateret Turcas ad obsidendam Viennam appropinquare, convocatis ocyus præcipuis Aula: Ministris, eorum consilia, quid in re tam ardua, & improvisa faciendum sit, exquirat, qui cum unanimiter ad securiora discessum svasissent, Cæsar cum Aula sua Urbe excedit, cujus rei famâ per Urbem divulgatâ, metus ingens, ac consternatio, tumultuariâque fuga quàm plurimorum Viennæ tunc commorantium subsequitur. Verùm Urbi addidit animos Caroli Lotharingij, cum equitatu adventus, cum quo in nova Urbe Leopoldopolitana confederat. Interea Tartari universam Viennæ viciniam sædissimè devastant, & cuncta igne, ferroque, & abductis hominibus depopulantur, quos subsequutus Magnus Vezirius, Urbem obsidione cingit: Carolus verò Dux Lotharingus Danubium per pontes cum equitatu transit, auxiliares fœderatorum ibidem præstolaturus copias, dum sub idem tempus opportunissimè peditatus noster, qui in Insula Schit sepositus fuerat, ex altera parte Urbis, per Insulam Leopoldopolitanam in Urbem inducitur. Dum hæc fiunt in Austria, Tökôlius universam serè Hungariam occupat, multis spontè, alijs verò metu, ad suas pertractis partes, si paucos Magnates excipias (Archiepiscopus enim uterque, Palatinus item Regni, uti & Regni Cancellarius, Comes Christophorus Erdôdi Præses Camerae, Comes Stephanus Zicsi Coronæ Custos, nonnullique alij, relictis omnibus suis bonis, Regno excesserunt, & Comes Stephanus Csáky Viennæ toto tempore obsidionis substiterat) atque Posonium usque pervenit, ac in Moraviam quoque irrupit, sed à Carolo Lotharingo tunc cum equitatu Cæsareo trans pontes commorante, binis cladibus afficitur: unâ ad Posonium, quâ fusus fugatusque & Sentaviam usque pulsus, omnibus impedimentis amissis. Altera ad Moravam
flu-

fluvium, quâ decem labara eidem erepta sunt, & ex ijs, qui sub illis erant, non pauci cæsi. Interea dum Turcæ acerrimè Urbem oppugnant, coadunantur Christianorum arma Ducésque, ac periclitanti Urbi succurrere decernunt, aciémque sic ordinant, ut sinistram alam sustineret Carolus Dux Lotharingus cum Cæsareis copijs, dexteram Joannes hujus Nominis III. Rex Poloniæ, medium Electores Saxo, & Bavarus; mox tribus vijs progressi per Montem Cæsum, arduo sanè itinere, hostem aggrediuntur, ac in fœditissimam fugam conjiciunt, Urbémque felicissimè obsidione liberant, ac universa Turcarum castra, cum ingenti præda, omnibúsque tormentis, ac munitione, castrorúmque apparatu, obtinent, ac diripiunt. Postmodum aliquot diebus datâ quiete militi, universæ fœderatorum copiæ (Saxone Electore excepto, qui post solutam obsidionem, cum suo exercitu in patriam redijt) instare fugientibus hostibus, & persequi Barbaros constituunt, struétoque ad Posonium navali ponte Danubium transeunt, eoque loco consistunt, quo Turcæ Strigonium inter & Parcanum pontem per Danubium struxerant: præcesserant autem Poloni, qui gloriâ ducti, non expectato cætero exercitu, sed neque suo peditatu, ac tormentorum adventu, subitò in hostes irruunt, sed ab ijs repulsi non levem cladem accipiunt, periclitante ipso Rege cum filio primogenito Jacobo; verùm mox succurrente iisdem Lotharingo animos resumunt, Turcásque in fugam conjiciunt. Interjectis aliquot post diebus, fœderati junctis omnibus copijs hostem adoriri totis viribus statuunt, aciéque instructâ in eundem pedem promovent, Parcanoque appropinquant, ast Turcæ necdum à nostris laceffiti, & jam ad prælium parati, priores ipsi ferociter dextram alam nostri exercitûs invadunt, in qua potissimùm Germani fuerant collocati, verùm cum hi ferociter resisterent, mutato repentè consilio, in alterum cornu, non minori cum ferocia irruunt, inque Polonos præcipuum impetum faciunt, quibus dum Generalis Caprara suppetias fert, alijque Duces belli strenuè pugnam instaurant, Barbarorum ordines perturbantur, obstinatèque resistentes prosternuntur, cæteri metu percussi dissipantur, & quâcunque patebat viâ, præcipiti fugæ se committunt; insequuntur fugientes nostri, plurimósque cædunt, donec perveniretur ad Danubij ripas, pontémque per fluvium stratum Parcanum inter & Strigonium, ast hic nimîâ fugientium multitudine oneratus repentè scinditur, ac rumpitur, plurimique hostium præcipitantur, gravésque & prælio defatigati, à gurgitibus aquarum hauriuntur: reliqui quos amnis, ac pons non capiebat, vel in lacum uliginosum se se demergentes tormentis petuntur, vel gladio, ac sclopis interficiuntur; atque in hoc prælio periit flos militiæ Turcicæ. Hâc tam memorabili victoriâ læ-

ti Christiani, oppidum Parcanum animosè invadunt, capiunt, & evertunt, & quadringentis prætorianis, & viginti quinque tormentis inde eductis exurunt, & incinerant, mox adducto Comaromio sublimi ponte, Danubium trajeciunt, & Strigonium oppugnare aggrediuntur, atque etiam expugnant, postquam illud annis octuaginta octo in potestate Turcarum fuisset: varias dein arces vicinas & castella, pulsas, vel ultro ex ijs profugientibus Turcis, recuperant: sicque victor Poloniae Rex per superiorem Hungariam facto itinere, cum suo exercitu domum redit. Dux quoque Carolus militiam Bavaricam, & Cæsaream in hyberna per Hungariam distribuit, ipse verò Tyrolim, ac Bavariae Elector Monachium ovantes repetunt, omnèque à suis magno cum applausu recipiuntur: Hungari verò auditâ Viennensis obsidionis solutione, & viso progressu armorum Cæsareorum, tam Magnates & Nobiles, quam Comitatus inferioris Hungariae, qui Tököllo sive metu, sive spontè adhæserant, illico ad gratiam Cæsaris confugiunt, atque eandem à Clementissimo Principe facillè impetrant: Quæ res Tököllo haud parùm commovit, ut & ipse sibi de securitate provideret, eam ob causam proinde Cassoviam, Eperiesinum, Leutschoviam, & alias insuper arces, quas adhuc sub sua habebat potestate, præsidijs firmat, & sub finem anni emisso edicto, Hungaros, qui ad fidelitatem Regiam redierant, & à se defecerant, non sine gravibus comminationibus ad se revocare laborat, sed planè conatu irritò.

1684. Augustissimus Cæsar post hostem nuper gloriosè obsidione Viennensi depulsum, & in Hungaria proelio ad Parcanum, devictum, Strigoniumque receptum, ad victoriæ cursum continuandum operam omnem impendit, atque hunc in finem supplementa exercitûs, novaeque legiones conscribi mandat, auxiliares copias à Principibus & Ordinibus Imperij expetit, cum Serenissima Republica Veneta, contra communem hostem defensivum, & offensivum foedus init, ac cum Polonis arctius confirmat; Electorem Bavariae ad arma promptissimum, & milite potentem, sibi addictissimum reddit, Summum Pontificem Innocentium XI. unicè hoc bellum promoveri zelantem in hoc pio affectu conservat, preces universales & publicas per omnes suas ditiones, pro felici successu belli, instituit, totamque bellicæ expeditionis molem prudentissimè ordinat. Interim etiam reparationem Urbis Viennensis munimentorum, quæ tormentis hostilibus labefacta erant, strenuè, nec sine ingentibus expensis, urget ac continuat, demum ad extinguendas planè latentes adhuc sub cinere rebellionis in Hungaria scintillas, Serenissimum Carolum Lotharingiae Ducem, & Baronem Abele Posonium expedit, universalemque per eos condonationem, & amnistiam

stiam Regnicolis offert, qui novo fidelitatis juramento se obstringere voluerint, quod quidem plerique eorum per se, vel ablegatos suos haud gravatè præstant. Adultà verò æstate Cæsareus & Bavaricus exercitus Vaczium & Pesthum à Turcis recuperant: Visegradi civitatem funditus evertunt, Ujvarinum eminèns plocquatâ premunt, Budámque ipsam obsident; verùm ob injurias temporum, & annonæ deficientis incommoda, obsidionem postmodum solvunt. Interea Tökôlius ad Leutschoviam semel, ac rursus ad Eperiesinum à Cæsareanis profligatur. In Monarchia autem Turcica, magni tumultus, & gravissimæ discordiæ exoriuntur, & summus Vezirius, alijque præcipui Aulæ Ministri, ob malè res ad Viennam gestas, laqueo vitam finire coguntur.

1685. Dum nostri Ujvarinum acerrimè oppugnant, Turcæ Strigonium obsidione tentant, rati hâc ratione nostros ab illius oppugnatione retrahendos, verùm hâc machinatione majoris victoriæ Christianis occasionem præbent. Enimverò Serenissimi Duces Bavarix & Lotharingiæ assumpto solo equitatu, hosti magnis animis obviant, eúmque aggrediuntur, ac cum eodem acriter configunt, ac ferè ad internecionem delent, captis ac expugnatis ipsis castris, & in prædam actis, omnibúsq; castrensibus impedimentis occupatis. Interea autem Generalis Caprara Ujvarinum assultu facto capit, præsidarijsque Turcis omnibus caesis, feliciter occupat. Nec multò post Neogradinum, sive ex fulmine (ut fama ferebat) sive ex industria à Turcis supposito ignito fomite, accensóque pyrio pulvere, in auras vibratur, ac magna ex parte diruitur, sicque à Turcis deseritur, & à Cæsareanis occupatur. Tökôlius interea rebus desperatis, ad Turcas se recipit, & Varadini magno, sed simulato honore, excipitur, nam non multò post captivatur, & Belgradum vincetus mittitur. Post captum verò Ujvarinum, Generalis Caprara cum parte exercitûs, in superiorem Hungariam vadit, & Cassoviam recipit, quâ receptâ potior pars Nobilium illarum partium gratiam suæ Majestatis, & amnistiam ultrò oblatam grato animo amplectitur. Altera verò pars militiæ Cæsareæ Szolnokum, vicinâque eidem arces & castella recuperat, & Turcas ad *Aradum* insigni clade profligat.

1686. Cæsar ad instaurandum contra truculentissimum Christianitatis hostem, bellum, omni virium conssu animum adjicit. Itaque cum Septemviris, de auxiliaribus copijs in Hungariam mittendis seriò agit, & præter Brandeburgicorum septem millia, ab Electore Saxonix quatuor millia, certis sub conditionibus accipit. Serenissimus autem Elector Bavarix, cum octo millibus suorum ipsemet in Persona militiam suscipit in Hungariam, nec desuere aliorum quoque ordinum Imperij auxiliares copiæ; præter quas

aderant nullo conducti stipendio ex Hispania, Gallia, Anglia, Italia complures Nobili prosapia oriundi, adeò ut ultra 95. millia bellatorum Cæsareanus numeraret exercitus, cui demum Serenissimus Lotharingiæ Dux è Tyroli, ubi hybernabat, evocatus, præficitur. Tres autem in partes suscepta est hoc anno expeditio, nempe una in Hungariam superiorem, contra rebellionis reliquias, etenim adhuc Munkacsnum pro Tòkòlij stabat partibus. Ipse quoque Tòkòlius eliberatus ex aresto Turcico, Belgrado veniens Varadinum, publico misso diplomate ad omnes Hungariæ superioris Urbes, arces, & pagos: olim sibi subjectos, ad vires secum conjungendas, quæ minis, quæ promissis evocabat: altera verò pars in Croatiam deputata est, ac demum tertia in Hungariam inferiorem adversus ipsos Turcas. Et quidem corpus exercitus Cæsarei, unà cum Bavaricis copijs, Budam, biennio licet ab hinc multo sanguine Christianorum cruentatam, summâ vi demùm aggreditur, & post acerrimam, eamque continuatam oppugnationem, in præsentia hostilis exercitus (qui ad solvendam obsidionem advenerat) armatâ feliciter expugnat. Quâ re visâ supremus Vezirius exercitum suum (priùs tamen Albâ Regali præsidio militari firmatâ) fugienti similis Eszekum versùs reducit: Hunc itaque Lotharingus cum 40. millibus insequitur, sed neutiquam assequitur, ita timor hosti addiderat alas; arces tamen inter Budam & Eszekum à Turcis desertas fortunatissimè recipit, Budamque reversus, res Urbis, quæ mirum in modum tormentis & incendio deformata, ac ruinata fuerat, in ordinem redigit. Mox Ludovicum Marchionem Badensem, cum aliquot millibus, & nonnullis tormentis Quinque Ecclesias versùs expedit; qui ex itinere, Simonytornam, & Caposvarinum capit, dein copias Quinque Ecclesijs admovet, & post oppugnationem aliquot dierum arbitrio suo ad gratiam & disgratiam ejusdem Præsidarijs Turcis se tradentibus, deditio- ne recipit. Paulò post Scherfenbergicus occupat Siclosium. Dein nostri Szegedinum oppugnare statuunt, ac Tartaros obsessis opitulari volentes vicibus iteratis profligant, & repellunt, locòque potiuntur, uti & Csanadino non longè ab eo distante, & olim Sede Episcopali insignito, ad confluentiam Marusij & Tibisci situato. In Croatia quoque à nostris nonnulla minora præsidia Turcica, occisis, & interemptis præsidarijs recipiuntur; & Turcæ Verovicizam recuperare volentes, sub Ductu Makarij Protribuni cæduntur, atque in fugam aguntur. Sub hæc Generalis quoque Carafa, Fanum S. Jobi, quod tertio à Varadino lapide distat expugnat, & præsidio firmat, post Debreczinum versùs movet, oppidanòsque ducentis millibus florenorum multat, ingentique frumenti copiâ militarem vim redimere adigit. Interea Transylvania ad Cæsaris fidelitatem spontè redit: Ragusana quoque

Respublica clientelæ ejusdem se committit. Turcæ verò tanto progressu armorum Christianorum consternati, pacem à Cæsare sollicitant, & ob improsperos rerum exitus, ridiculis, insanisque superstitionibus plenas, placando Numini, & Mahometo supplicationes instituunt: universa autem plebs contra summum Sultanum concitatur, ac commovetur, eidemque ignaviam exprobrat, ac contra eum, ejusque Aulæ ministros tumultuatur: sed Divinæ Nemesei, non bellicis tantùm calamitatibus, sed & alijs flagellis punire placuit ferocem hunc populum, magnâ in eum immisâ peste, mox etiam excitationis in Arabia domesticis motibus.

1687. Prosperos hos successus in Hungaria, in medio cursu vix non evertunt nonnullorum perversorum factionis Tòkòlianae occultæ machinationes. Res tamen ita clàm agi non poterant, ut eæ ad Officialium Cæsareanorum notitiam, & præsertim Generalis Carasæ, qui superiori Hungariæ tunc præfuerat, non pervenirent. Hic igitur suspectos ad judicium Eperiesinum evocat, & partim vi adduci mandat, legitimèque convictos graviter multat, atque perduellionis reos ultroneè supplicio affici curat. Sed & Finckius Centurio, Budam, Turcis Albaregalensibus prodere volens, deprehensus in vincula conjicitur, & prodicionis convictus capite plectitur, quod in eodem ipso loco, per quem hostem inducere volebat hastæ suffixum exponitur, corpus verò in quatuor partes scissum, in vijs publicis suspenditur. Interea Agriæ gravi fame laboranti, Turcæ ac Tartari annonam inferre volentes à Generale Haislero in fugam aguntur, & annonâ quam urbi invehere volebant, exspoliantur. Nec meliori successu Csanadinum, & Fanum Sancti Jobi Turcæ recipere conantur: ab illius siquidem oppugnatione, cùm jam oppidum tormentis quaterent, ad solam adventantium subsidiarum copiarum famam mirificè consternati rebus infectis discedere coguntur, ab hujus verò infestatione solorum prædiariorum virtute, & ingruentium imbrum multitudine, non sine suorum damno recedere compelluntur. Novus interea Vezirius Constantinopoli justo cum exercitu proficiscens, ad collapsa & destructa famosissimi Pontis Eszekiensis ruderâ instauranda animum adjicit, per quem militiam, in ultiores partes Hungariæ traducere intendebat, sed subitâ Dravi fluvij exundatione in hoc opere interturbatur, & quamvis repetito conatu reficiendo ponti, operarios, militésque incumbere jussisset, parum tamen hinc commodi sentit, siquidem Cæsareani quidquid is summo cum labore exstruebat, illico sine negotio destruebant. Igitur mutato consilio, infra Eszekum tali loco castra metatur, ut & irruentem forte in se hostem arcere posset, & si quâ fugiendum esset, à tergo quoque eidem effugium pateret. Cùm igitur Cæsareani

reani eundem perpetuis aggeribus cinctum, tonantiúmque undique machinarum bellicarum copiâ munitum, commodè aggredi non possent, ad artem confugiunt, recessúmque simulant, ut sic eum in castrorum, sylvarúmque latebris hærentem in apertum campum proliciant, atque strata-gema hoc feliciter succedit, Turcæ enim nostros fugere rati, è munitissimis suis castris, aquis uligine stagnantibus, paludibúisque trajectis, cum universo sui exercitús robore prodeunt, eúmque jam in patenti campo essent, nostri in aciem ordinato milite, se contra hostem invertunt, cum eoque congressi, acerrimo prælio configunt, atque interneccione delent, omni-que apparatu castrensi, impedimentis, ac plusquam centum tormentis, bubalorúmque, boum, equorum, & camelorum, ac mulorum, omnium rerum copiâ oneratorum, iagentique pecuniâ, aliarúmque rerum abundantia, exuunt, & exspoliant: Summus autem Vezirius acceptâ hâc clade scœdissimâ fugâ Eszekinum se recipit, ad quem insequendum Generalis Denewaldius cum decem millibus expeditur, sed huac supremus Vezirius appropinquare sentiens, relicto præsidio militari Eszekini, Petri-Varadinum, atque dein etiam hinc ob intestinas Turcarum mutuò se calumniantium discordias Belgradum transit, atque ibidem subsistit, plurimis arcibus, & castellis in illa Sclavoniæ plaga vacuis derelictis, ac à Cæsareanis insequentibus occupatis, quin & ipsum Eszekinum ultrò à Turcis desertum, in nostrorum sine effusione sanguinis devenit manus, repertis in eo 52. tormentis, alijsque machinis bellicis, cibariorúmque & annonæ haud exiguâ copiâ. Denewaldius autem hoc arriidentis fortunæ beneficio utendum ratus, Walponem quoque invadit, & deditioe capit: Possegam dein unâ cum alijs adjacentibus castellis Cæsarei juris facit, militaribúisque præsijs, erectisque munitionibus, quantum temperis ratio ferebat, adversus ingruentem hostium vim firmat. Lotharingæ verò Dux, cum præcipua exercitús Cæsarei parte, Transylvaniam intrat, fortalitijsque ejusdem milite Cæsareo imposito, reliquæque militiae hybernis constitutis, Viennam ovans regreditur.

Hoc eodem anno, Agria, jam à longo tempore à Generale Nigrelli, & Marchione Doria eminus cincta, & fame ad extremam necessitatem redacta, Generali Carafæ certis conditionibus sese dedere adigitur. Præstitère autem in hac obsidione & receptione Agriæ ex Hungariæ Magnatibus strenuam operam Illustrissimi Comites Stephanus Kohary, & Franciscus Barkoczi, in qua etiam Comes Kohary, dum avidius cum hoste congregitur, globo plumbeo trajicitur, ex quo vulnere tamen mortem evadit, sed ad perfectam illius convalescentiam, pervenire nunquam potuit. Adveniunt hoc eodem anno Legati Moschovitici Viennam, & Moschi in societatem belli

contra

Contra Turcas à Cæsare adsciscuntur. Pro coronide tandem felicium ac prosperarum harum bellicarum expeditionum, circa finem hujus anni, Serenissimus Archi-Dux *Josephus* jure hæreditario, in Regem Hungariæ eligitur, & coronatur. In ipsdẽ Comitij, Excellentissimus Comes Paulus Esterhazi Regni Hungariæ Palatinus, in S. R. Imperij Principem creatur, & Excellentissimus Comes Stephanus Csaki in Judicem Curia Regiæ per Hungariam (locò Excellentissimi Comitis Nicolai Draskovicz Posonij tunc defuncti) constituitur. Interea Othomanicum Imperium gravissimis tumultibus agitur, multique Præfecti, ac administri Turcici, vitâ, aut dignitate exuuntur, quin & ipse Mahometes IV. Imperator folio d. turbatur, eidẽque frater ejusdem Solimanus, qui cum altero suo fratre Achmete 40. jam annis custodiâ detentus erat, illico subrogatur.

1688. Felicitas huius anni à Munkaczienfis fortalitijs, quod non minori Cæsareæ militiæ, industriâ, vigilantiaque omnibus ejus aditibus obseptis clausum tenebatur, à Tôkôliana (quæ hætenus nullis fortunæ adversantis vicibus ad deditiõnem illius insecti se passa fuerat, nisi postquam Hungariæ Ordines, exaratis ex Comitij Regni literis, seriò gravitèrque eam adhortati fuissent, ut hoc præsertim tempore, quo ex communi Regnicolarum consensu, Serenissimus *Josephus* Rex inauthoratus est, se votis totius Regni accommodet) deditiõne Generali Carasæ factâ, sumit initium. Quam non diu post sequitur Albæ Regalis à Turcis facta deditiõ, eandem adurgentibus Excellentissimo Comite Adamo Battyani, Comite Joanne Esterhazi Jaurinensi Vice-Generali, & Barone Arejzaga Commendante Leopoldopolitano. Dein & Transylvaniæ Ordines, omni correspondentiæ cum Turca renunciant, & sub clientelam Cæsaris, ejusque Successorum, eo jure, quo cæteræ Provinciæ ad Coronam Hungariæ spectantes, plenè se se submitunt. Sed & Generalis Carasæ castellum Lugasium haud procul à Temesvarino situm, *Pacij* Tribuni operâ, deditiõne à Turcis recipit. Brassovia insuper Metropolis Transylvaniæ, præsidium Cæsareum, quod hætenus recusaverat, acceptare adigitur. Generalis autem Caprara Illokum, in Sclavonia Turcis eripit. Quoniam verò Cæsareanorum Ducum, ac Electoris Baviaræ præcipuum propositum fuerat, ut Belgradum, seu Albam Græcam Turcis eriperent, ideo prohibendis vicinorum hostium excursionibus occurrendum statuunt: Ideoque Ludovicus Marchio Gradieskam, Comes Adamus Battyanius Canisam, Vechius Szigethum, Nigrelli Varadinum arctâ indagine cingere, commeatumque hosti accidere jubentur: Ipse verò Serenissimus Elector Baviaræ Emmanuel Maximilianus, cum præcipuo robore exercitûs, Savum fluvium navali ponte imposito heroico transit animo, nihil morante eum, hostili custodiâ ad-

versæ ripæ fluminis oppositâ, in qua Tökôlius cum decem millibus Turcarum invigilabat, & transitum nostrorum impedire nitebatur, atque mox ad obsidionem Urbis se accingit, captisque suburbijis amplissimis, ipsam Urbem & arcem, structis tormentorum suggestibus acriter oppugnat, & licet obsessi strenuè & pertinacissimè se defenderent, tandem tamen armatâ manu gloriosè expugnat, esto non sine multorum suorum amissione. Interea Semandria quoque quondam Rasciæ Metropolis, à Turcis metu deserta ab Haidonibus Hungaris, & à Ludovico Badensi *Titul* occupatur. Generalis Veterani pariter cum quatuor milibus è Transylvania egressus Caransebesum recipit, ac Haislerus Generalis Vigiliarum Præfectus copijs in Bulgaria præesse iussus, Posaraviczam Cæsari subjicit. Post hæc verò & Szigethum situ loci, operèque probè munitum (in cujus obsidione Solimanus Turcarum Imperator obiisse anno 1566. legitur) in dies magis magisque ingravescente fame, & non affulgente spè ullâ subsidij, aut comœatûs, tandem in leges deditiois consentit. Singularem verò fortunam experitur Marchionis Badensis expeditio, is enim ubi hostiles copias, prope Gradienskam hæere cognovisset, castris statim ad *Unnam* fluvium promotis, adjunctisque sibi Croatis, ex itinere Cosztaniczam, Jaszenoviczam, & Dubiczam capit, post, Gradienskam desertam, ac conflagrâsse diffugientibus Turcis reperit, ac demum ad Triveniczam Bœniæ pagum cum iisdem confligit, ac memorabili victoriâ profligat (esto eorum quadruplo plures, quàm nostrorum fuerint) occisis Barbarorum sex millibus, & duobus millibus captis, reliquisque in fugam actis, & Christianorum vix ducentis desideratis: Porro dum rectè expugnatum fuisset Belgradum, eo ipso die, quo solennes DEO agerentur gratiæ, pro felicissimo successu expugnationis tanti Fortalitij, eodem adveniunt Turcici Legati, pacem sollicitantes, qui ad colloquium à Duce admissi, opiparoque prandio excepti, ab eodemque publici Passûs ad Cæsarem litteris impetratis Posonium expediuntur, indèque Potendorfium deducuntur. Sed ecce repente hic felicissimus Christianorum & victoriarum contra communem Christianitatis hostem, progressus non parum impeditur & retardatur, dum Christianissimus Rex insperatè Cæsari, atque toti Imperio bellum indicit, re ipsâque illud hostiliter invadit.

1689. Indictò hæc ratione à Gallis Imperio bello, réque ipsâ illato, Turcæ, & Tökôlius altiores jam sumunt spiritus, nec immeritò, Cæsaris siquidem vires in Hungaria plurimum hoc incommodo oportebat imminui, atque distrahi unâ parte exercitûs ex Hungaria in Imperium missâ, ipsoque Duce Lotharingæ tot victorijs contra Turcas hætenus obtentis inelyto, supremam armorum Cæsareanorum ibidem, contra Gallos gerere jussu. Huic

tamen

tamen substituitur haud minoris fortitudinis & experientiæ Belli Dux Marchio Badensis, eidemque summa rei militaris committitur. Interea tamen Legati Turcici elapso anno pro pace concludenda missi Potendorffio Vienne solita cum pompa ad Cæsaris audientiam deducuntur, præsentatisque authenticis fidei literis, in id se missos significant, ut pacem hoc bello interruptam, rursus redintegrent; ad quod petitum pro responso accipiant: Cæsarem utique non abhorrire à pace redintegrandâ, dummodo idoneæ eidem conficiendæ proponantur, vel propositæ à se, ab ipsodem acceptentur conditiones: Verùm cum à confœderatis Principibus, ipsoque Cæsare multa peterentur, quæ eorum potestatem omninò excedere viderentur, super hoc negotio, facultatem, Cursorem suum mittendi ad Sultanum pro clariori informatione postulant, quam etiam impetrant. Et quidem plebs & Status Imperij Turcici ob continuata belli mala, ingruentem rerum inopiam, contributionum pro militia immensâ onera, ac accisam hâc tempestate mercimoniorum cessationem adeò potenter expetebant, ut nisi bello finis properè imponatur, apertè palàmque defectioni Sultano minari non dubitarent. Sed & ipse Sultanus quibuscunque tandem conditionibus pacem redimendam seriò anhelabat; ast hujus animum, mentemque Legatus Gallicus, planè everit; is enim Bizantio Adrianopolim profectus, à Rege suo mandata se accepisse affirmabat, ut non solùm defensivum, sed etiam offensivum cum Turcis fœdus ineat, adpromittens Regem suum vires Cæsaris in Imperio ita distracturum, ut ipsodem liceat non tantùm sua tueri, sed & ea, quæ hæcenus amissa sunt, recuperare. Ergo Sultanus accitis ad consultationem etiam Chamo Tartarorum, ac Tôkôlio quoque, bellum semel inchoatum, imposterum etiam esse continuandum decernit, & quamvis illius designationes plurimùm interrumperent duorum Asiæ Præfectorum rebellio, atque Moschorum in Tartariam Criminsensem irruptio, his tamen non obstantibus, omnes, quas poterat, sui Imperij vires convocat, & præcipite mense Aprili in campum educit, ac castra ad Adrianopolim posita ipsemet illustrat, suæque præsentia hæud leviter erigit, ac animat, ac demum exercitu toto Summo Vezirio commendato, ipse Adrianopolim redit: Supremus itaque Vezirius gloriæ cupidus muneri sibi imposito satisfacere volens, hoc præsertim tempore, quo Cæsaris vires Gallico bello distractæ erant, antequam Christianis nova, quæ expectabant subsidia, accederent, rebus præclare gerendis, animum & manus applicare statuit. Novigradum igitur oppidum supra Widinum ad Danubij ripam situm finiente Junio per Tôkôlum aggreditur, atque illud occupat, uti & Orsoviam, licet utrumque dein locum subito igne incenderit, & incineraverit.

Verùm & Ludovicus Marchio, cauti, & non minus fortissimi Ducis officio fungitur, unde probè constitutis Walachiaë & Sclavoniaë finibus, hosti obviam magno animo procedit, cum eodem decretoriâ pugna, si fors, & occasio tulerit decertaturus. Jam verò utraque castra sibi ad invicem appropinquabant, solo flumine Moravo illa præterfluente. Sed dum Vezerius flumen transire retractat, quin & vestigia retro legit, alijsque modis exercitum nostrum distingere laborat; Ludovicus Marchio 4. Calendas Septembris, equestribus copijs fluvium transit, hostilisque equitatus partem adoritur, & in fugam convertit, fugientemque insequitur: Interea & peditatus eodem flumine transmissus, exploratoque locorum situ, prætorianos milites trium circiter millium, qui viarum angustias, per quas nostris transcundum fuerat, magno cum animi ardore invadit, & reluctantes loco movet, & ad ulteriora se recipere adigit; Postridie verò Marchio juncto peditatu equitatu, & aditibus locorum, quos Turcæ adhuc tenebant, haud multo labore occupatis, per sylvas, impeditasque vias, fugientes, ad ipsa usque castra Turcica insequitur. Quo viso cæteri quoque Turcæ, qui in castris fuerant, vehementer consternati, relictis ipsis castris, omnique eorum bellico apparatu, impedimentisque; magna cum trepidatione in fugam vertuntur, nostri sic temerè relictæ ab hoste castra protinus invadunt, ingentemque in ijs pecorum, omnisque generis cibariorum, & instrumentorum bellicorum copiam reperiunt, inque prædam agunt, adeptis hosti insuper 105. tormentis bellicis. Dein ibidem DEO gratijs pro hac victoria actis, ipsis Calendis Septembris, ad Nissam movent, & pleniora castra Turcarum 60. millium adoriuntur, commissisque acri & repetito prælio, de iisdem gloriosam victoriam reportant, multis eorum cæsis, plurimisque in Nissava fluvio mersis, ita ut crederentur hæc clade decem hostium millia periisse, Christianorum ultra 300. haud desideratis læsisque; longè autem major strages hostium edita fuisset, nisi nox, quæ instabat, nostros ab iisdem insequendis impedivisset. Interea Christiani, his quoque alijs castris cum omni suppellectile, 30. machinis bellicis, 300. generosis equis, mille tentorijs, aliisque divite prædâ potiuntur. Post hæc Marchio Ludovicus ipsam Nissam Urbem occupat, & hanc, uti & alias arces circumjacentes, à Turcis metu, ac terrore desertas, militari præsidio firmat: Dein Widinum versùs tendit, Civitatemque & arcem, exiguo temporis spatio in Cæsaris potestatem redigit. Nec minùs strenuè fortiterque interea Generalis Picolomineus rem gerit: expugnato enim Kazantko munito admodum castro, Scopiam per amplam, sed muris mœnibusque destitutam, & ab incolis metu desertam, alias Urbem prædivitem, & populosam in-

gredi-

greditur, & exportatis ex ea cibarijs, mercibusque quæ ibidem erant, sub-
 jectis facibus delet; sed non diu post 9. scilicet Novembris, magno dolo-
 re totius exercitûs fati cedit. Sed & Holsatiæ Dux ad Scopiam Civita-
 tem feliciter cum Turcis configit, duobus millibus ex iisdem discerptis, &
 obruncatis, Urbemque post obstinatam incolarum defensionem, ferro,
 flammisque adhibitis perdomat, & in cineres redigit. Summus verò Ve-
 zirus ad tumultuantis plebis instantiam, munere suo, & dignitate demo-
 vetur. Hoc eodem anno exeunte Junio Comes Joannes Draskovics, assum-
 ptis 1200 Croatis in Bosphiæ finibus feliciter configit cum Turcis, in si-
 gnûmque victoriæ, undecim vexilla, per filium, Viennam mittit.

1690. Felicitatem anni prioris, aliqua ex parte si non interturba-
 vit, saltem attemperavit adversa fortuna anni currentis, ipsâ quidem die
 primâ Januarij infausse commissum prælium à Tribuno Strossero cum Tar-
 taris, animos auxit Turcarum, apud quos hæc superstitio viget, ut à fe-
 licis in novo anno eventu, de totius anni fausto, vel infausso successu
 conjecturam faciant. Extincto namque & morte sublato Picolomineo, Dux
 Holsatiæ eidem succedere iussus fuerat, in summo militari Imperio, in Al-
 bania, atque conterminis ejusdem Regionibus, qui nihil antiquius habebat,
 quam ut militibus in idonea loca dispositis, fines earum Provinciarum ad-
 versus irruentium fortè hostium machinationes, abundè muniret. Is itaque
 ubi certis nuncijs accepisset, Tartaros cum viginti millibus, transitum per
 Danubium tentare, validamque impressionem facere, in animo habere;
 Strosserum Tribunum ex Urbe Nissa evocat, eundemque cum commissis
 copijs infra Pristinam idoneo loco consistere, & Picolomineam cohortem,
 properatis itineribus adventantem ibidem expectare, & præcisè passibus,
 & aditibus custodiendis invigilare mandat. Ast ille moræ impatiens, &
 avidus gloriæ, hostibus occurrere, copijs suis in campo explicatis ad Ka-
 zinkum non dubitat, ubi à multitudine eorum facile circumventi nostri,
 licet per septem horas strenuè pugnantes, omnes ferè, paucis evadenti-
 bus jugulantur: funesto hoc conflictu, non modò campestria aliquot tor-
 menta, & vexilla amissa, sed & nostris 2241. desiderati sunt, quos inter
 fuere ipse etiam Dux expeditionis, & complures alij militares Officiales, il-
 lustrique genere orti, ac Hannoverianus quoque Princeps: Postridie adest
 & Picolominea cohors, omnium quæ acta sunt ignara, Strossero se ex con-
 dicto jungere volens, at in validas eorundem Tartarorum incidit manus,
 quæ eousque collectata, donec nox conflictum dirimeret, properè Pristi-
 nam, ac cum hanc à nostris desertam reperisset, inde Nissam revertitur.

Eodem Anno, die 27. Januarij, Serenissimus *Josephus* Rex Hungariæ,

in Regem Romanorum, & Auguftissima ejusdem Mater, in Imperatricem magnâ pompâ coronatur.

Item Canifa post longam plocquadam ab Excellentissimo Comite Generali Adamo Battiani, & Illustrissimo Comite Stephano Zichi, continuatam, deditioe recipitur, postquam annis 90. sub potestate Turcaram fuisset, & intera binas obsidiones irritas sustinuisse.

Item Carolus Lotharingæ Dux, tot victorijs de Turcis in Hungaria reportatis clarus, dum à Cæsare Viennam è Tyroli evocatur, in itinere Welsij in Superiori Austria catharro suffocativo anno ætatis 50. Aprilis 12. die, magno totius Christianitatis dolore subito extingvitur. Quem paucis diebus antevertit in hoc stadio Michaël Apaffi Transylvaniæ Princeps. At Turcæ ad pacem ineundam valde inclinati, svasu Legati Gallici, omnem actionem de pace vehementer illis disvadente, Regisque sui operam in adjuvando ac promovendo bello contra Cæsarem ipsdem adpromittente, & liberaliter offereute, totam curam & animum ad arma convertunt, & ad continuationem belli se resolvunt. Novus itaque Vezirius bipartito exercitu Cæsareanos invadere statuit, ita ut præcipuo corpori exercitus ipse præfesset, quod Nissæ primùm, ac dein Belgrado admoveret, altero verò Ductore Tòkòlio Transylvaniam invaderet. Ipse proinde motis Sophiâ castris, cum ingenti bellatorum agmine Nissam versùs movet, eamque (priùs tamen expugnato Pyrotho) obsidione cingit, atque etiam postmodum deditioe accipit, fortissimo licèt præsidio Germanorum firmatam, & plusquam centum machinis bellicis, omnibùsque rebus ad sustinendam obsidionem idoneis instructam. Post hæc pari felicitate Vidinum quoque in suam potestatem redigit, ac Samandriam quoque vi capit. Ex altera verò parte Tòkòlius, cum commissa sibi parte exercitùs, qui tamen Tartaris præcipuè constabat, in Transylvaniam avidè contendit; neque id latebat Hajslerum summum ibidem Cæsareæ militiæ Ducem; qui proinde partim ex Germanis, partim ex provinciali milite, sub ductu Teleky (denominati Gubernatoris Transylvaniæ, & hostis capitalis Tòkòlij) conflato exercitu, conabatur summa cum diligentia impedire irruptionem Tòkòlij in Provinciam, passibus angustissimis, per quos eidem aditus, patuisset, serio invigilando, Tòkòlius tamen per incognitos & confragosos calles eandem ingreditur, statimque nostros hostiliter aggreditur. Ubi quidem à Cæsareanis fortiter & strenuè ad initium pugnatum est, adeò ut Barbarorum plurimi sternerentur cum spe, quasi certæ victoriæ, cum ecce ex improvviso Transylvani & Siculi Ducis sui Telekij morte intellectà (qui in ipso fervore pugnæ, generosè pugnando occubuit) in turpem fugam se convertunt,

tunt, & solum equitatum Germanicum in prælio relinquunt, qui quidem constantissimè adversus Barbaros (estò numero longè superiores) præliando præclara fortitudinis specimina edidit, postremò tamen ab insigni hostium multitudine circumventus opprimitur, amissis suorum 1200. & reliquis fugatis, ipsòque Duce Haislero capto, uti & Marchione Doria. His ita constitutis Ludovicus Marchio Badensis, cum tanto exercitu non abundaret, ut utrique parti succurrere potuisset, judicabat prudenter, satius fore, si bene priùs provisus, quæ sustinere obsidionem ad certum tempus possent, integræ Provinciæ Transylvaniæ succurreret, eamque Cæsari conservaret. Igitur properatis itineribus cum exercitu in Transylvaniam vadit, eamque Petrocizio Tòkòlij complice, nequicquam id impedire conato, feliciter penetrat, Tòkòliumque ad pugnam haud obscure provocat, verùm is nuspiam consistere ausus, universam Provinciam pervagatur, insistente semper vestigijs ejus Ludovico, tandem finiente Octobri Transylvaniâ excedere cogitur. At summus Vezirius, absentiam hâc Ludovici Marchionis animatus, Belgradum castra admovet, illudque obsidet. Et hoc quidem ad obsidionem tolerandam, usque dum Marchio rediret, imò & ad longius tempus, quoad omnia necessaria optimè tunc provisum fuerat, quam etiam sustinuisset, nisi fatalis alius casus intervenisset: Pulveris enim pirij promptuarii, ab igne supposito, vel certè ab hoste ignivomo globo injecto, ignem insperatè concipit, & horribili planè fragore, instar ingentis terræ motûs edito, arcem utrinque conquassat, mœniæque & valla versus Savum unâ cum tormentis, militibusque ibidem existentibus, in fossam præcipitat, humoque contegit, qui verò in alteram partem arcis se receperant, penè omnes opprimit, horribilique incendio atque ruinis totam ferè Urbem delet, paucis residuis Christianis diffugientibus, & ægrè se ad alteram partem Savi recipientibus: Turcæ itaque paulatim fumeâ pulvereâ caligine sedatâ, Urbis ruinas magnâ vociferatione subintrant, turmatimque per omnes illius plateas discurrunt, seminecésque & combustos, quos deprehendunt, crudelissimè jugulant, eandemque unâ cum arce occupant, ac expurgatam à ruderibus magnâ iterum curâ muniunt, & adversus vim hostilem firmant. Postmodum verò trajecto Savo, Eszekum Duce Hassano Bosniæ Præsfecto obsidione cingunt, acriterque illud oppugnant, verùm à Duce de Croy, qui milites minoribus Præsidijs impositos in unum collegerat, insigni stratagemate perterriti, & subito terrefacti, eam trepidè solvunt, & tormentis, multoque apparatu castrensi, impedimentisque relictis, diffugiunt. Sicque Campaniâ hujus anni finitâ, utriusque partis milites ad hiberna distribuuntur;

1691. Proto-Vezirius Cuperlius vir sagax, & consilij, longôque temporis usu potens, anni prioris prosperitate animatus, majores etiam in futurum sibi successus adpromittit, vel veriùs fingit; Itaque inter Persas & Turcas firmatâ pace, totus in id incumbit, ut reparatâ pristinâ nationis suæ gloriâ universam Hungariam potentia Otomanicâ subjugaret, aut saltem hæcenus amissâ in Hungaria recuperaret. Quare per omnem Imperij Turcici Dominatum supra consuetum prioribus annis, hujus belli modum, bellum parat, militarem nervum, seu pecuniam operosè conquirat, copias armigerorum ex Asia & Europa convocat, terrestres ac navales apparatus instruit: Interea verò Sultanus Turcarum Imperator moritur, & inter alios de Imperio concertantes, operâ Neo-Vezirij Cuperlij, frater defuncti Imperatoris, eidem substituitur. Agebant autem tam apud defunctum, quàm apud recenter creatum Imperatorem strenuam operam pacis ineundæ Anglorum, & Hollandorum Abligati, at Abligato Anglico Huslego è vivis insperatè sublato, & Hollandico in gravem infirmitatem incidente, tractatus pacis interrumpuntur; quâ occasione arreptâ Orator Gallicus, faciliùs sua negotia apud Novum Sultanum promovet, atque opima spolia sperata commendando, Vires Otomanicas, supra modum extollendo, & Cæsareas deprimendo, sœdus nuper fraternum inter has duas nationes Christianissimum scilicet, & totius Christianitatis inimicissimum, in memoriam revocando, insuper Regis sui gravem offensam minitendo, id efficit, ut ad hujusmodi suggestiones Sultanus bellum continuandum decerneret, illicôque Proto-Vezirium Belgradum ad maturandas expeditiones, amandaret. Sed & Augustissimus Cæsar, pacem nonnisi gloriosam habere cupiens, his machinationibus Gallicis minimè consternatur, neque ob fortunæ anno priore aliquantum adversantis iniquitatem, animo frangitur, quin potiùs in futuros belli eventus consilia & industriam omnem confert, copias undique conscribit, confœderatos Principes in communem hostem animat, fortalitia Belgrado opposita magnis expensis firmari curat, ac tandem toti exercitui de optimo Duce providere satagit, ideôque eidem rursus Ludovicum Marchionem Badensem præficit. Antequam autem uterque exercitus ad locum sibi destinatum conveniret, minores ex utraque parte complures factæ sunt velitationes, jam Tôkôlianis, jam Turcis præfidiorum finitimorum, jam Tartariis, quin quandoque & Walachis, Cæsareanos infestantibus; verùm hi repellentur, & carptim cædebantur à Generali Nigrelli, & Bolando Barone ac Colonello; Tôkôlianis verò conatibus de occupanda Transylvania fortiter resistebat Generalis Veterani, illius copias sapiùs fugando, ac insuper Lippam (per revolutionem anni prioris

ris à Turcis occupatam) spectante planè hostili exercitu, aggrediendo, & feliciter recuperando. Turcarum copiæ interim Albam Græcam inter & Semandriam magno numero conveniunt, ad quas non diu post Magnus Vezirius advenit, eisdemque lustrat, iisdem deductis ad Zemlonium trans Savum castra figit. Ludovicus quoque Badensis ad castra nostra, quæ ad Budam confluerant, Viennâ descendit, solennitèrque ab armada universa excipitur, eaque lustratâ, eandem Eszekinum, ac inde ad Petri-Varadinum deducit, ibidemque collocat. Hinc verò postmodum exercitum ad unius tormenti ictum ad castra hostilia acie explicatâ promovet, præliumque deposcit: At verò Vezirius cunctando rem suis restituendam ratus, intra munimenta castrorum se continet, & sequenti die quoque in iisdem hæret. Cùm itaque nostri aliàs prælij avidi hostem ad illud ex castris elicere non possent, eundem intra sua munimenta invadere statuunt, sed cùm exploratorum fide compertum haberent, hostilia castra bene Danubio & Savo inclusa, & præterea tumulis, fossis, vallis, & multis pro depellendo insultu rebus idoneis, & tam tormentis, quàm aculeatis, ferròque præmunitis vestibibus esse munita, atque adeò hoc opus arduum valde, dubiæque aleæ futurum cernerent, hanc ob causam Ludovicus Princeps censebat consultius fore, præmissis impedimentis, aliquantisper recedere, & ad campos Petri-Varadini exercitum perducere: Interim Turcæ nostros fugere arbitrati, ex suis castris munitissimis prodeunt, & terga cedentium instanter premunt, & eas potissimum cohortes, quæ tutando itineri relictæ erant, continuis aggressionibus infestantes, sine tamen notabili nostrorum damno, atque sic integro sine noxa reducto exercitu, Marchio loco magis oportuno ad Danubij ripam; prope castellum Szalankemin castra locat, sequenti verò die Turcæ quoque castra sua promovent, & contra Christianorum castra iter instituunt, & hoc in itinere Bucquoianam cohortem tardiùs se expedientem, cum 200. curribus annonarijs, multitudine obruunt, & ad interneccionem ferè cædunt, omni comœatu, impedimentis quoque cunctis in prædam raptis. Quo successu erectiores facti, ad Petri-Varadinum propiùs accedunt, castrisque ibidem non procul à nostris collocatis, omnem comœatum Christianis prohibere conantur, quod incommodum nostri præcavere volentes, hostilia castra invadere statuunt, atque re ipsâ magno impetu aggrediuntur, & licet eâ opinione sua longè munitiora invenissent, à proposito tamen non desistunt, sed initio dato à dextra ala strenuè oppugnant, resistentibus non minori fortitudine Turcis, & planè variante fortunâ, & dubio eventu in quamnam partem inclinaret victoria; interim sinistra quoque ala nostri exercitûs, quam Dennewaldus ducebat

super-

supervenit, emensis itinerum incommodis, quibus retardabatur, alteramque partem hostilium castrorum adoritur: Ipse vero Ludovicus Princeps Hungarorum & Rascianorum levis armaturæ quinque millia assumit, eoque in medium castrorum impetum facere jubet: Mandata hi promptè exequantur, & cunctis obvijs prostratis, stupendam stragem, nec leve momentum victoriæ edunt; sequebantur siquidem hos reliquæ Cæsareæ cohortes in hostilia castra, per latera, perque terga animosè irumpentes, & licet tam peditatus, quàm equitatus Turcarum fortissimè se defenderet, ad extremum tamen à nostris superantur, & in fugam aguntur, excepto prætoriano milite ad interiora castra refugo, quem proinde novâ pugnâ superare necesse fuerat. Eximia, sed simul cruenta fuit hæc victoria: Perire siquidem in hac pugna primarij exercitûs Turcici Præfecti ferè omnes, ipsèque supremus Vezirius, & primus prætorianorum Præfectus vulgo Agajanozerorum dictus, credunturque è Turcis, propè quinquaginta millia, partim in conflictu, partim in fuga periisse: Cesserunt Cæsareanis in prædam & spolia universa castra, impedimenta omnia, cuncta tentoria, commensus ingens, equorum, & camelorum maximus numerus, bouum plusquam decem millia, tormenta majora ex ære fusa 158. plurima quoque vexilla, tota insuper pecunia publica, solvendis stipendijs militaribus destinata. Ex nostris autem desiderati sunt in peditatu 1759. in equitatu 829. non pauci etiam ex Officialibus majoribus, & nobili ex stemmate progeniti, quos inter numerabantur: Christianus Dux Holsatiæ, Comes Caunizius, Comes Koloniczius, Comes Bucquoi, Comes Pöthingius, Comes Starembergius, Comes Adamus Zrinus, ultimus antiquissimæ suæ familiæ, & de Hungaria, ac tota Christianitate meritissimæ, hæres, saucij quoque plurimi. His peractis selectiora vexilla à Ludovico Principe Cæsari mittuntur, & solennes DEO grates in castris referuntur, dein mortui humanantur, ægri verò, & læsi, in loca curandis militibus destinata devehuntur. Turcæ è contra fugitivi, manipulatim & sensim Albam Græcam collecti, primò de amisso prælio dolent, deinde ad invicem querulantur, tandem prætoriani milites pedites cum equitibus in aperta jurgia erumpunt. Princeps autem Ludovicus, otio & quiete militi aliquot dies datâ, ad Majus Varadinum, cum exercitu iter suscipit, & adveniente re tormentariâ, quæ ipsum sequebatur, Urbem tormentis majoribus, mortarijs, pyrobolis, globisque ignivomis hostes territat, ædificia plura inflammat, mœniâque Urbis tormentis quassat; Turcæ nihilominus pertinaciter deditioem facere recusant. Quare Marchio temporis injuriâ, locique difficultate, milite item fesso, & labore fatigato, alijsque pensatis difficultatibus, ulteriorem oppugnationem Varadi-

radini, in aliud tempus rejicit, interim tamen partem exercitûs ad includendos aggeribus & tormentis infideles relinquit, partem verò in hyberna distribuit, ac dein Viennam Cæsarem salutaturus abit. Cùm verò hæc à Ludovico aguntur, Dux Croïus non minori fortunâ usus, Pofegâ, Gradiefkâ alterâ, & Brodo potitur, universamque Sclavoniam à Turcis liberat, ac Cæsari subjicit.

Item ingens Locustarum multitudo, in plurimis partibus Hungariæ fata cuncta devastat.

1692. Clade tam grandi elapso anno acceptâ, Turcæ contremiscentes Sultanum suum ad pacem ineundam urgent, ac sollicitant; qui eandem etiam populo instantissimè expetenti compromittit, asserens se Neo-Vezirio summo in mandatis dedisse, plenamque eidem potestatem ac facultatem fecisse, quibuscunque tandem medijs, & conditionibus eandem conciliandi; nec dubium erat, ipsum quoque Sultanum, totamque ejusdem aulam: ad ineundam pacem seridè animum adjecisse; sed Orator Gallicus rursus retrahit Turcas ab hac animi propensione, quin eosdem impellit etiam, sædus iterum tam offensivum, quam defensivum cum Christianissimo Rege ipsdem in memoriam revocando, pecuniaria subsidia adpromittendo, naves, tormenta, reliquaque belli instrumenta, quin & pyrotechnicos, & architectos militares illis deferendo, omnemque Regis sui operam, auxilia, & consilia pollicendo. Rursus igitur hoc quoque anno utrinque convolatur ad arma. Et quidem Cæsarea potentia hoc anno aucta fuit militiâ Lunenburgicâ Serenissimi Ducis Hanoveriani, quem proinde Cæsar in remunerationem, Electorali condecorat dignitate. Antequam autem uterque exercitus conflueret, Varadinum adolescente Junio, post longissimam, & lentam obsidionem, vulgò plocquatam dictam, per Excellentissimum Generalem Haislerum (postquam is lytro deposito, è captivitate Tököliana eliberatus fuisset) factâ forti impressione, expugnatur, & Turcis eripitur. Militiæ autem Cæsareæ in Hungaria contra Turcas Dux de Croj præficitur, & Serenissimus Marchio Badensis Ludovicus, exercitui Imperiali contra Gallos, in locum Serenissimi Ducis Baviariæ, qui Belgij Governator factus est, summa cum potestate præponitur. Et Neo-Vezirius quidem cum Turcarum exercitu Belgradum venit, sed sive cautus exemplo suorum antecessorum, sive consilio Gallorum usque ad finem autumnii se in castris continet, pugnâque ad quam nostri anhelabant, subterfugit, ac tandem militem ad hyberna deducit. Quibus visis, Cæsareus quoque exercitus dissolvitur, & per quarteria in Hungaria distribuitur.

1693. Præsidia Jenô & Világos-Vár à nostris, Turcis eripiuntur. Tartari

tari in Walachia hybernantes, Transylvaniam, & præsertim Siculiam repente invadunt, multaque millia animarum in diram servitutem abducunt, Quorum fama ubi primum ad Generalis Veterani aures pervenit, illico is militares copias in unum cogit, sed hostes celeritate usi, ad sua interiora cum præda discedunt, & sic configere cum ijs non valens, saltem passus omnes, per quos hostibus transeundum esset, diligenter custodiri mandat, & manu militari munit. Noster exercitus ad Petri-Varadinum, ad Turcarum intentiones diligenter excubat, at illi prælium declinantes Transylvaniam invadere statuunt, eoque etiam progrediuntur; nostri verò ad hostem ex itinere revocandum, Belgradum obsidione cingunt, sicque Vezirius, ut obsessis succurreret, redire cogitur, exercitus tamen noster ante reditum, salvus & incolumis, cum omnibus impedimentis Savum per navalem pontem transit, & ad pristina castra se recipit, atque hæc ratione, sine notabili ex utraque parte operatione hic annus transit, ingruente jam hyeme utroque exercitu ad hyberna redeunte. Eszekum hoc anno strenuè munitur, & fortificatur.

1694. Hic quoque annus inter solos bellicos apparatus ex utraque parte infumitur. Et quidem Vezirius trajecto Savo nostros in castris munitissimam oppugnando triduo ferè, & vicissim nostri tormentis, & acie explicatâ hostis irruptionem expectantes, eidem strenuè resistunt. Quare Vezirius visâ Cæsareani exercitûs constantiâ, repente, & quidem clanculariè se recipit, sed neque nostri recedentem, hostilem astum metuentes, eundem insequuntur, & incolumem exercitum ad hyberna deducunt.

1695. Novus Turcarum Imperator ipsemet in persona expeditionem in Hungariam magnis apparatibus, sed majori famâ quàm re in se discernit; Tartarorum siquidem auxiliares copias, quas habiturum se sperabat, & avidè expectabat, obtinere non potuit, ob Moschorum in Tartariam irruptionem, deposito igitur priori Vezirio, alijsque Officialibus, qui in antecedentibus expeditionibus militiæ præerant, & novis in locum illorum substitutis, Belgradum unâ cum uxore & matre (more hæctenus apud Turcas inusitato) advenit. Hujus tamen personali præsentia nîl Augustissimus Cæsar turbatur, sed exercitum fortem & majorem, quàm alijs hujus belli annis comparat, quem adauget Serenissimus Elector Saxonix, copijs selectissimis tam equestribus, quàm pedestribus, ipsèque in persona descendit, & Dux totius exercitûs à Cæsare constituitur, adjuncto eidem in tot annorum continuato bello expertissimo militiæ Duce Excellentissimo Generali Caprarâ. Hi itaque castris oportuno loco sitis, & probè firmatis, ac munitis, non pro-

cul

cul Petri-Varadino, parati semper ad prælium, avidè hostem (qui jam per Savum pontem navalem ad transeundum construxerat) expectant. Verùm Turcarum Imperator, nostros in castris minimè aggredi audens, consilium mutat, & Danubium trajicit, expugnaturus *Titulum* (cujus Præsidarij, suis excursionibus supra modum Turcas Belgradenses vexabant) quo intellecto Duces nostri, præsidium *Tituli* adruent, locoque optimè provident, igitur & hunc tunc quidem pertransit, intactumque relinquit (sed postmodum navalibus copijs aggreditur, & expugnat, Præsidarijs ferè omnibus trucidatis; quem tamen locum Turca non diu post metu ex vano rumore orto deserit (eundemque nostri reoccupant, & melius firmant) ac castra Temesvarinum versùs movet, atque hinc, præsidio (quod unicum jam in Hungaria habebat) bene provisio, & annonâ, milite, munitioneque firmato, Lippæ appropinquat, eandem aggressurus, utpote in qua sciebat imensam esse annonæ, munitionis & tormentorum copiam, in ordine ad designatam Temesvarini obsidionem præparatam. Quare & noster exercitus priori statione relicta, per paratos jam prius pontes navales Danubium, ac dein Tibiscum quoque transit, sed cùm hic tardiori progreditur itinere, Turcæ ante adventum nostrorum Lippam expugnant, omnibusque ferè præsidarijs deletis, opimâ prædâ tam copiosæ provisionis, potiuntur. Atque cùm corpus exercitus nostri minimè expectare, vel illud aggredi audent, recipientes se semper sensim ad partes Temesvarino vicinas, tandem partem unam exercitus, quæ nonnisi septem regiminibus militiae constabat, quam Generalis Veterani ducebat, ad Caransebesum cum triginta & amplius millibus invadunt; licet autem illi longè pauciores numero essent, & hostes quadruplo eos numero superarent, non tamen pugnam detrectant, (erant enim hi probatissimi milites, ac omnes veterani, Dux quoque eorum *Veterani* expertissimus, ac veteranus, ut ipsa quoque res nomini optimè corresponderet) verùm hosti acerrimè resistunt, ac ternis vicibus eundem generosissimè repellunt, atque pugnam in longum tempus protrahunt, donec Turcæ aucti majoribus adhuc copijs, prælium restaurant, in quo ipse Dux expeditionis tribus vulneribus saucius, gloriosè occumbit. Quo casu viso, reliqua pars illius militiae Caransebesino recedit, hostique campum relinquit, ac Caransebesino quoque vacuo præsidio relicto, ad angustos passus Transylvaniae (qui Porta ferrea nuncupantur) se collocat, ad hosti per illos transitum in Provinciam impediendum. Perière hac in pugna Christianorum circiter quatuor millia, hostium verò supra duodecim millia. His ita peractis, noster exercitus se subdividit, & quidem Serenissimus Elector Saxoniae cum equitatu Transylvaniam ingressus, eandem in fide-

tate Cæsaris conservat. Excellentissimus verò Generalis Caprara, cum peditatu ad Petri-Varadinum redit, observaturus inde hostium intentiones, & conatus. Turcæ autem videntes tam exiguam manum, tam generosè sibi restitissè, de cætero quoque exercitu nostro à fortiori idem iudicium ferentes, sensim ad sua se recipiunt, post quorùm recessum & nostri ad optata & grata sibi hyberna redeunt. Sicque Campania hæc finitur, cum nullo quidem nostro progressu, sed neque hostium tam magno, quàm illi sperabant, & nos initio timebamus.

Item frigus serotinum hujus anni, quod in ipso Junio aliquot diebus continuabatur, ingens damnum incolis, tam in segetibus præsertim autumnalibus, quàm in vineis intulit; & quod à frigore adhuc remanserat, id in segetibus ingens murium copia ac multitudo consumpsit.


1696. Serenissimus Saxonix Dux, & Elector Fridericus, Augustus, Rudolphus, decem millibus suorum egregiè instructorum pro suo in Austriacam Domum affectu, & publicæ rei promovendæ studio Cæsareo exercitui adjunctis, in Hungaria contra Turcas bello præficitur, eidemque Excellentissimus Generalis Æneas Caprara iungitur. Qui quidem optimè animato milite, adultâ jam æstate, ternis omnino vicibus Temesvarinum obsidione cingunt, fortiterque aggressi oppugnant; semper tamen ob imminētis hostis formidabilem vicinâque potentiam, à strenuè ceptis desistere coguntur. Tandem igitur, ne totam æstatem ingloriè exigèrent, rem in aperto campo decidere, & cum potētissimo hoste aperto Marte confingere generoso unanimique consilio decernunt: itaque eum quantumvis fortissimè vallatum, & undique munitum fortiter adoriuntur, atque ei pugnandi, & configendi indicunt necessitatem. Qui dum nostrorum aggressionem non minus fortiter excipit, retunditque; incalcescente Marte pugnatur utrinque acerrimè, victoriâ nunc his, nunc illis, (ut dubius ejus eventus est) favente. Prælium, si quod aliud acre ac strenuum nox sequestra diremit. Desiderata verò sunt nostrorum in hac pugna supra tria millia; hostium verò (uti quidem fama constans asserebat) duplò plura. Nocte igitur jam concubiâ plenis castris Turcæ Temesvarinum versùs recessère; nostris etiam non multo post Szegedinum, inde in hyberna regressis. Atque ita anni hujus Campania brevi actu, vel levi intermedio; non magno sane utrinque pretio operæ est terminata. Pulchriorem spe non dubiâ, à tam copioso lectoque milite victoriâ referendam anno hoc nos nobismetipsis fueramus polliciti, sed ei obicem posuerunt, regimina aliquot Cæsareanorum equitum; qui in ipso actuali prælio progredi, & alios subsequi, generosisque præeuntium insistere vestigijs turpiter tergiversabantur; pugnare nolent-

tolentes. Interim in suo Turcæ reditu Marocciam arcem, à præfidi arijs Rascianis militibus hætenus custoditam, tridui spatio expugnant, & solo æquant. Feliciorem successum hoc anno sortita est expeditio Excellentissimi Domini Comitiss Adami Battyanii Regni Croatiae Bani, qui aliquot Turcis erepta fortalitia in Cæsaris potestatem redegit, misâque parte unâ militum sub ductu Illustrissimi Domini Comitiss Simonis Forgách in Bosniam incursionem fecit, cæsisque non paucis Turcis, expilatisque eorum castellis, saluum, & incolumem exercitum reduxit. Hoc eodem anno brevis regnicolarum conventus iteratò Pofonij celebratur; præcisè de modo alleviationis militarium portionum, quas Officiales quidam nimium quantum aggravaverant, qui scilicet excessibus suis durissimisque exactionibus longè plus pro se, & privatis suis usibus, ac sua domo, quàm pro Cæsare, & bono communi Regni, Patriæ, Imperij laborantes; séque ditantes, miseram plebem graviter premebant; ut substantiam ejus emungere possent. Moschi Assacum fortissimum Tartarorum præsidium expugnant. Galli interim cum Duce Sabaudie Amadæo partialem ineunt pacem, per quam universali toties optatæ paci, in Imperio, totaque Christianitate via sternitur.


1697. Serenissimus Elector Fridericus, Augustus, Saxonie Dux, cùm rursus hoc anno contra Otomanos exercitum ducere in Hungaria cogitaret; interim dum tempus expeditionis adest Viennæ commoratur, felici sanè, ac latissimâ bonis omnibus morâ, in qua ille opportunam nactus salutis suæ consulendi occasionem, fidem tandem Romano-Catholicam ejuratis Lutheri erroribus publicè amplectitur; DEO, quantum conversionem ejus probaret, mox non obscuris argumentis declarante; quando eo ipso die, quo se Catholicum Elector Serenissimus profiteretur, nuntium accipit, quo idem friDerlCVs, AVgVstVs, saXo rex poLonorVM jam ritè peractâ consecrâque electione declarabatur. Nostri hoc anno Bihacium Croatiae Metropolim obsident, & sat strenuè oppugnant, sed casto exitu, utpote ob multas incommoditates, advenientiâque incommoda obsidionem denique solvere coacti. Turbata tumultibus eodem hoc anno superior juxta, ac inferior Hungaria. Et in inferiore quidem Rascianorum non pauci Duce quodam Perla, abjecto, sed extremæ audaciæ homine, deprædationes circa Danubij ripas ingentes exercebant, pagos incendebant, & adjacentia Quinque Ecclesijs loca infestabant; verùm à Cæsareanis non multo post circumventi, cæsi, dissipatique sunt, Perla Duce capto, Eszekinique supremo supplicio affecto. Quo interempto, prædonum hæc colluvies, ut membra scilicet capite destituta, illieo collapsa est, & evanuit. Majus periculum prædatorum horum similium in superiore Hungaria emerit: cùm eorum jam à longo tem-

tempore cusa occultè, & clancularijs internuntijs inconspicibilissima, (ut eventus aperuit) conspiratio insperatè prima Julij currentis anni erupisset. Hi ergo more turbinis omnia pervagari cupientes, mox Tokainum, Patakinum & Szerencs arces ex insidijs occupant, cæsis locorum præsidarijs omnibus; jamque adscita sibi rusticorum, plebisque colluvie prædas agere incipiebant: futurumque omnino fuisse timebatur, ne ulterius furiata hæc, & malefana inconditæ plebis multitudo grassaretur, nisi gliscenti malo in ipsis exordijs, DEO sic prudentissimè ordinante, fuisset occursum. Contigit enim, cum ad Onodinum quoque occupandum agminatim procederent, ut in Cæsareas Germanicas, & Hungaricas cohortes inciderent; hos igitur ubi primùm Cæsareus exercitus prædonum, & tumultuantium esse de numero agnoscit, aggreditur; neque illi pugnam initio detrectant, quin pro virili resistunt, at tandem inclinante denique acie terga vertunt salutem fugâ quæsituri; itaque amissis jam, & quâ globo, quâ ferro trucidatis plus quàm mille; quâ datâ portâ, pars Tokainum, pars verò Patakinum se se recepit. Verùm neque illic tutis esse licuit. Namque Princeps Waudemontius advectis præproperè Agriâ tormentis, sine mora, cum milite, quem congregare poterat, huic fini sufficientissimo Tokainum obsidet, cumque consternati Rebelles, defensionem simulando, per amicas fugientibus noctis tenebras, deserto meticulosè præsidio noctu clam omnibus profugissent, & majori ex parte Patakinum se recepissent, Princeps fugientibus insistendum ratus, Patakini quoque novâ eos obsidione pressos fortiter urget. Rursus tamen ad notas sibi artes perduelles confugiunt: peditatui itaque persuadent, speciosèque imponunt ij, qui equos habebant, se in nostros excursionem facturos, ab obsidionèque repulsiuros. Verùm cum apertis portis equitatus totus exeundi viam nactus esset, non versus castra nostra; sed aliorsum deflexit; & quâ potuit, profugit. Peditatus verò (quem ferè totum plebs rustica conflaverat) videns se adeo turpiter ab equitatu delusum, rebus, & evadendi spe desperatâ, ad Gratiâ petendam confugit; sed hæc, uti non merebantur, non impetratâ, gratiæ, & disgratiæ Principis Waudemontij se submittere est coactus. Quorum non pauci deinde, pro varietate, & gravitate, scelerum, ac criminum varijs quoq; ex justitiæ præscripto pœnis sunt affecti.

O. A. M. D. G. & B. M. V. P. H.
Honorem.




a-
Hi
m
;
:
a
,
n
s
l
o
o



Clamandy

Mohr

Barby



703699

703699

